ANNALES

ACADEMICI.

CIↃIↃCCCLXVIII—CIↃIↃCCCLXIX.

16

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO I. C. DRABBE. | PROSTAT APUD E. J. BRILL.

1873.

Quae hoc Annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA.

ACADEMIA GRONINGANA.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. IX FEBR. A. CIƆIƆCCCLXVIII AD D. VIII FEBR. A. CIƆIƆCCCLXIX

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

REINHARDUS PETRUS ANNAEUS DOZY.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

GUILIELMUS FREDERICUS REGNERUS SURINGAR.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

R. P. A. DOZY.
A. RUTGERS.
I. H. STUFFKEN.
C. G. COBET.
M. DE VRIES.
R. FRUIN.
W. G. PLUYGERS.
H. KERN.
M. I. DE GOEJE, Prof. extraord.

IN FACULTATE MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN, rude donatus.
G. C. B. SURINGAR.
F. G. KRIEGER.
A. E. SIMON THOMAS.
I. C. G. EVERS.
A. HEYNSIUS.
I. A. BOOGAARD, Prof. extraord.
T. ZAAIJER, Prof. extraord.

IN FACULTATE IURIDICA.

I. DE WAL.
S. VISSERING.
R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE.
I. E. GOUDSMIT.
I. T. BUIJS.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, rude donatus.
I. H. SCHOLTEN.
A. KUENEN.
I. I. PRINS.
L. G. E. RAUWENHOFF.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I. VAN DER HOEVEN (obiit d. 10 m. Martii).
A. H. VAN DER BOON MESCH.
F. KAISER.
P. L. RYKE.
W. F. R. SURINGAR.
D. BIERENS DE HAAN.
P. VAN GEER, Prof. extraord.
E. SELENKA, munus auspicatus d. 6 Novembris.

I. I. P. HOFFMANN, titulo Prof. ornatus.
P. I. DE JONG, titulo Prof. ornatus, Lector Litt. Pers. et Turc. et Interpres Legati Warneriani.

C. A. X. G. F. SICHERER, Lector Litt. Germ.
E. GERLAND, in Museo physico Adiutor.
C. C. I. TEERLINK, in Museo chymico Adiutor.
N. M. KAM, Observator astron.
A. VAN HENNEKELER, Observ. astron. alter, cui successit
C. L. F. KAMPF, Observ. astron. alter.
B. I. WINKELMAN, Prosector in Theatro anatomico.
I. H. VAN DIJK, ad tempus in Institutione chirurgiae Adiutor, cui successit
I. E. VAN ITERSON, in Institutione chirurgiae Adiutor, antea in Institutione clinica Adiutor, in quam partem successerat
S. VAN DER HORST, in Institutione clinica Adiutor, prius Adiutor in Museo physiologico; huius vices obiit
F. PLACE, Adiutor in Museo physiologico.

ORATIO

DE

CAUSIS CUR MOHAMMEDANORUM CULTURA ET HUMANITAS PRAE EA QUAE CHRISTIANORUM EST IMMINUTA ET CORRUPTA SIT

QUAM HABUIT

REINHARDUS DOZY

DIE VIII FEBRUARII A. CIƆIƆCCCLXIX

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Duodecim vultures quos Romulus vidisse dicebatur, duodecim saeculorum imperium Romanis portendere responderant haruspices, et quod praedixerant eventu est comprobatum. Quum Sidonius Apollinaris Romam induceret ita rogantem:

> Quid rogo bis seno mihi vulture Thuscus aruspex
> Portendit?

brevi imminebat imperio Romano in Occidente interitus: parebat Urbs et provinciae dominis barbaris, quos Germanicae sylvae in Italiam effuderant.

Trahebat quidem Imperium in Oriente miseram et deformem vitam per multa saecula, sed opimis provinciis spoliatum, namque Syria, Aegyptus, superiora Africae et Sicilia praedae cesserant nationi, veteribus prope incognitae, quae repente voce prophetae excita ex suis desertis proruperat et torrentis instar incredibili robore et celeritate, quocumque rapacitas trahebat, invadebat omnia.

Colliduntur nunc inter sese duo populi, infestis animis ambo, cuncta ad se rapientes, Germani et Arabes. Certamina inter eos, quibus et stirps diversa et diversae emolumentorum rationes et imprimis diversa religio et sacra, totam medii aevi historiam contexunt. Ex illa diuturna contentione sine controversia illi qui Mohammedem sectabantur discessere superiores. Christianis quidem contigit ut aliquantisper Terram sanctam armis obtinerent et Hierosolymis, quae Mohammedanis quoque sacra urbs erat, regnum conderent; sed breve illud imperium fuit neque iis ex cruciatis

expeditionibus ullum stabile emolumentum natum est. Contra Mohammedani per saecula regiones Christianis ereptas in potestate retinuerunt. Praeter eas quas diximus, Hispanias quoque dominis Germanicae originis per vim extorserant, et tandem deleto imperio Byzantino, sedem imperii in urbe, cui Constantinus Magnus nomen dederat, constituerunt.

Sed quamquam in his quoque multo erant superiores, aliquanto maius et gravius, si humanitatem spectemus, erat in illis momentum et pondus. Quod ad artes attinet, fateor, Arabes et Germani (et Germanorum nomine dico et qui in Germania remanserant et qui occupatis Imperii Romani provinciis nova regna condiderant) Arabes igitur et Germani erant prope pares, quamquam pro diverso utrique ingenio artes colebant. Apud utrosque poësis potissimum et architectura florebant. Sed quanta inter utrosque diversitas si disciplinas spectes et scientiae modum, quanta ad singulos de populo atque adeo ad maximam gentis partem pervenisset! Apud hos supina ignorantia, inscitia rerum vulgatissimarum. Nemo eques diplomati nomen subscribere potest; vix crucem pro nomine ponit, et plerumque ne hoc quidem, sed facit pro eo notarius. Apud illos diligenter exculta institutio, ut tuto asseverare possis inde ab anno octingentesimo, excepta plebecula et vulgo rusticorum, neminem unum in Mohammedanorum numero fuisse, qui non legere saltem et scribere sciret. Et multo etiam plura sciebant plerique, namque omnes quae quidem tunc erant disciplinae ab Arabibus sedulo colebantur, et si quis, ut aequitas postulat, illorum doctrinam exigit non ad nostram, sed ad Graecorum et Romanorum, magnam movebit admirationem. Singulari sollertia ingenii disciplinas mathematicas et physicas et medicas ab antiquis traditas in se receperant, easque augebant, si minus magna inveniendo, at certe diligenter et patienter observando. Ubi reperias inter Christianos medii aevi botanicum qualis Ibn-al-Baitâr fuit, qui, quum Dioscoridis scripta et Galeni et popularium suorum accuratissime cognovisset, per Hispaniam, Africam superiorem, Aegyptum, Syriam, Italiam, Graeciam et alias nescio quas regiones peragravit, ut ubique harum rerum peritos consuleret, singulas plantas exacta cura exploraret, cum superiorum descriptionibus compararet easque pro re nata aut corrigeret aut suppleret, ut denique fructus diuturni laboris in magnae molis opere exponeret, quod est monumentum aere perennius?

Ubi geographum invenias qualis est Edrîsî, qui copiose et fideliter orbem terrarum totum descripsit, qui urbes et pagos Europae mediae et superioris tam bene cognitas habebat atque Indiae et regni Sinensis et Nigritiae? Nihil antiquitas protulit quod cum illo giganteo opere componi possit, et multum temporis praeterire debuit antequam nova aetas opus prodire videret, quod aequiparari posset illi, cuius auctor Arabs saeculo duodecimo fuit. Praeterea ubi reperias in Europae parte, quam Christiani habitabant, philosophum et historicum qualis est Ibn-Chaldun, qui insigni mentis acumine rerum causas et effecta perspiciebat, et causas indagaret cur magna imperia aut tollerentur in altum aut ruerent, adeo ut exspectari debuerit donec Vico et Montesquieu nascerentur, ut inter nos illius aemulos haberemus. Quid habent Christiani quod illis opponant? Quid effecerunt quod illis palmam dubiam facere posset? Nihil prorsus. Ut inter sese comparari possint ad inferiora descendendum. Agedum comparato mihi aliquis narrationes Christianorum, qui Terram sanctam adierunt, cum narratione Arabis, qualis est Ibn-Djobair, qui ex Hispania profectus Meccam visit. Tenebit te aliquamdiu Christiani sincera fides et candor puerilis; mox cum dolore senties hominem angusti et obtusi animi perpauca ex iis quae contemplatus est intelligere, et saepe tibi fastidium movebunt homunciones, unde tam pauca discas et in quibus tam multa te offendant. Specta mihi contra hominem Mohammedanum! Tempestate delatus est in insulam, quam non erat consilium adire: appellit Messanam, et ex eo casu nascitur nobis Siciliae descriptio regnante rege Normandico Guilielmo Bono, quae tam expressa, tam plena rerum summi momenti est, ut paria his frustra quaeras apud scriptores Sicilienses aequales, vel apud Hugonem Falcandum, qui aetatis suae Tacitus appellatus est.

Itaque illis temporibus erat illic lux, hic tenebrae. Sed omnia conversa sunt in contrarium. Actum est de Mohammedanorum potentia; nonnullae ex opimis illorum regionibus cesserunt Anglis, Gallis, Russis, nobis Batavis. Propterea supersunt Turcia et Aegyptus, quia Christiani sibi inter se has possessiones invident. Et ubi est illa superior intelligendi facultas qua olim anteibant reliquos? Qui nobis antehac magistri erant adeo degenerarunt ut ne discipuli quidem nostri fieri possint. Cahirae nuper complures libri, quibus disciplinarum scientia continetur, e Gallico sermone

in Arabicum conversi sunt, sed nihil prosunt, quia popularium captum superant.

Est, opinor, operae pretium huius rei causas indagare. Itaque hoc solemni die in animo mihi est dicere *de causis cur Mohammedanorum cultura et humanitas prae ea, quae Christianorum est, imminuta et corrupta sit.* Est mihi in ea re magnopere opus ut me non minus benevolis quam attentis animis audiatis, namque non sunt omnes causae perinde faciles ad indagandum et occurram satietati non omnes quas noverim enumerando; continebo me inter gravissimas.

Primo loco nomino Mohammedanorum religionem. Quodsi illa religio nil nisi norma esset pie sancteque vivendi, caverem sedulo ne illam primam esse causam ponerem cur senium et labes apud illos nata sit, namque ab illa quidem parte natu minor Iudaismi filia neque a matre multum discedit, neque a maiore sorore Christianismo. Quin etiam ulterius progredior. Contendere ausim Coranum melius cum recentioris aetatis ingenio convenire et commodius ad huius saeculi opiniones flecti posse, quam Vetus et Novum Testamentum. Sed Coranus, Prophetae sententiis et constitutionibus suppletus, idem est omnis iuris principium et fons. Ab initio, idque diu tenuit, salutaris admodum ea res fuit, quoniam quae antea aut omnino non, aut utcumque iure longae consuetudinis male observato constituta fuissent, nunc ad certas regulas definita erant a praeclaro viro, longe supra aequalium captum evecto. Sed paulatim haec ut omnia humana consenescere coeperunt, et erat in perpetuum succisa spes omnis, fore ut emendarentur, quemadmodum meliorum temporum ratio postularet. Questus est summus Germanorum poëta, leges et iura, veluti morbum perpetuum, haereditate transmitti, et si ea querela ex parte tantum cadit in societatem nostram, verissima est in Mohammedana. Quicumque illic ius corrigere aggreditur, ipsi religioni manus sacrilegas iniicit: namque illic ius condidit Ingenitum Verbum Dei (eo enim loco Coranus habetur) et sententiae falli nesciae summi et ultimi prophetarum. Ecquid mirum succubuisse tandem aliquando populum oneri legislationis immutabilis ac veluti in saxum conversae? Quid factum esset nobis, si etiamnunc apud nos sententiae iudicum ferrentur ex Capitulariis Caroli Magni, vel, ut sacrum librum dicam, ex Lege Mosaica? In nonnullis etiam in nostrum ius Biblia sacra vim suam

exercuerunt, non tantum medio aevo, quum magna iis esset auctoritas, sed etiam recentiore memoria. Nonne recordamur omnes, quo pacto nonnulli, argumentis ex Sacra Scriptura petitis, obsisterent quominus servi in libertatem restituerentur? Nonne novimus, quibus impedimentis Ecclesia matrimonium civile prohibuerit et ad hunc usque diem in Austria prohibeat? Nobis tamen illa impedimenta aequis animis perseverando removeri poterant; at Mohammedano necesse est aut his difficultatibus cedere, aut Mohammedanum esse desinere. Divinae v. c. et immutabiles (nam immutabilis est voluntas Dei) habentur apud veros fideles leges de nuptiis, ex quibus ut ex uberrimo fonte magna manat morum corruptela, non adeo quia polygamiam permittunt, sed quia divortia tam facilia faciunt ut illic matrimonia vix mereantur eo nomine appellari. Sed cur plura? Quicumque Mohammedanam societatem vel aliqua ex parte habet cognitam, novit centena de genere hoc dari, et simul novit nullam spem esse apud illos aliquando haec meliora fore, quoniam notionem legis divinitus patefactae, et omnibus temporibus populisque ratae, summa ope retinent.

Secunda causa in eo est posita quod Arabes, novorum regnorum conditores et a natura multis ingenii dotibus praediti, sua ipsorum socordia et civilis prudentiae inopia magis magisque a populis augendae humanitati minus aptis de loco deiiciebantur. Ostenderant se facile nova imperia acquirere posse, sed simul ostenderunt se bene moratam civitatem, in qua quies et otium cum aequa omnium libertate consisterent, condere et stabilire non posse.

Quum essent ab origine Nomades, libertate usi fuerant nullis finibus circumscripta. Principibus, quos sibi praefecerant ipsi, nullum erat ius imperandi: contra debebant sedulo cavere ne forte popularium ferociam et morositatem excitarent, quominus aut statim desererentur, aut potestate exuerentur; et si suos ad aliquam rem suscipiendam impellere vellent, id solum efficere poterant si facunda oratione ipsorum animos et mentes commovissent. Abhorrebant ab omni notione auctoritatis, et ubi nemo cuiusquam auctoritatem reveretur, neque officium est communi omnium duci parere, ibi nullo modo aut stabile imperium, aut iustam rerum moderationem et regimen licet exspectare.

Potest tamen, fateor, populus suam naturam et indolem, si minus mu-

tare, at certe mitigare et corrigere. Non erat necesse Arabes, quum in Perside et in provinciis Romanis certas ac stabiles sedes cepissent, effrenatam illam ex desertis libertatem retinere. Poterat ingenitus libertatis amor mitigari; poterant paulatim regimini ordinato assuefieri. Poterant; sed hac certa lege: ut aequis conditionibus inter ipsos et ipsorum regem ita conveniret, ut de suo iure utrique aliquid remitterent. Neque rex potestatem nullis coercitam finibus appetere debebat, neque qui regi parebant veterem sine frenis licentiam. Nostra Christianorum per medium aevum historia viam qua esset eundum demonstrat. In re magna et gravi consuluntur a rege optimates et clerus, postea civitates quoque. Iacta erant fundamenta rerum constitutionis, qualem nunc habemus. Ferebat eandem rei progressionem Arabum quoque indoles; namque quamdiu Nomades fuerant de qualibet re graviore patres familiarum in commune consulebant, unde veluti senatus quidam existebat, qui principem consiliis adiuvabat. Ad hunc usque diem in deserto ita fieri assolet. Quare his fundamentis tam bene iactis nihil superstructum? Causa, opinor, in promtu est. In tantam molem excreverat et coalescens natio et regnum, ut Patrum familias omnium congregatio in unum nullo pacto locum habere posset, quoniam congregatio huiuscemodi nonnisi in una tribu aut in urbe una aut cogitari potest, aut unquam facta est. In huius locum debebat succedere is modus, ut pauci a multis creati pro omnibus sententias dicerent. Sed huius instituti notio neque Arabibus in mentem venit, neque ulli antiquae reipublicae aut monarchiae, et si cuius animum cogitatio huiusmodi subiisset, vereor ne pro re absurda reiecta fuisset, iisdem fortasse de causis quamobrem a Rossavio repudiata est. Quid igitur erat reliqui? Nihil praeter infinitum unius hominis imperium. Sed illi rei neque assueti erant, neque ullo pacto id ferendum esse arbitrabantur; atque sic factum est ut caliphatus primum, deinde partes ex eo abscissae, in perpetuas seditiones et inextricabiles turbas implicarentur. Regibus adversus ea idem ubique remedium. Peregrinos mercede conducebant, Sclavonios, Turcas, Berberos, Nigritas, Christianos ex Hispania Italiave, qui nulla necessitudine communis emolumenti coniuncti cum popularibus, quorum ne linguam quidem callebant, omnes resistendi conatus per vim opprimebant. Vincebant iniqui dominatores; sed brevis erat illa victoria, quia ipsi

ubique satellitibus suis servire cogebantur, qui veteribus dominis vel umbram potestatis eripuerunt, imperio exuerunt et ipsi regna capesserunt, quibus tuendis ab initio vocati fuerant. Sic vera et genuina regna Arabum interierunt: exeunte medio aevo nulla supersunt: praedae fuerunt peregrinis, qui religionem quidem Mohammedanam receperant, sed humanitatis sensum et amorem non habebant.

Tertia causa cum his quae diximus coniuncta est. Sita est in caecitate illorum qui in fide magis atque magis inanem auctoritatem amplectebantur et fanatismo furebant. Memorabile est in ea re discrimen inter orbem Mohammedanum et Christianum. Apud Christianos primis saeculis animus est puerilis et quidquid Ecclesia praedicat caeca fide admittunt. Diu duravit antequam nonnulli vocem contra tollerent, sed prodierunt tamen aliquando. Impetum faciunt primum in dogmatum interpretationes, deinde ipsa dogmata petunt. Saeculo XIII iam acriter pugnatur. Saeculum XVI vidit magnam seditionem, et Europae pars dimidia a matre Ecclesia divellitur. Ulterius progressi sunt saeculo XVIII et XIX. Nihil attinet de his plura dicere. Scimus omnes quo pacto paulatim Ecclesiasticae auctoritatis vinculis soluti simus; quo pacto cum multa difficultate aegre nunc procedendo, nunc retro relabendo, tolerantia crescat, et religio, magis magisque ex cuiusque captu et iudicio pendens, in animis mentibusque singulorum haereat. Alia apud Arabes ratio; ab alio principio profecti ad aliam metam pervenerunt. Primi Mohammedani plerique omnes tam multum abest ut, quemadmodum olim vulgo putabant, meri fanatici fuerint, ut potius religionem parum curarent et quadamtenus ab ea essent alieni. Quum essent suapte natura parum religiosi, desertorum incolae nova sacra metu magis Prophetae quam ex animi sententia acceperant. Deinde illo mortuo arripuerant occasionem excutiendi iugi et in politicis rebus et in religiosis. Vi armorum iterum subacti sunt; sed ferebat rei natura ut specie magis quam re Islamismum colerent, et pro certa et inconcussa fide, quae spectatur primis saeculis in Christianis, prima Islamismi saecula scepticismum minime occultum ostendunt, et derisionem, quae saepe Voltarii risus in memoriam revocat. Non Arabes — excipimus, ut par est, ipsos Mohammedis amicos discipulosque — sed populi victi et ad novam fidem conversi, Persae, Berberi, Hispani, Islamismum serio admiserunt, et per illos fac-

tum est ut vim suam totam exsereret. Islamismi historia igitur est historia fidei semper auctae, quae fiebat intensior acriorque quo magis illae gentes praepollebant et Arabum potentia minuebatur; et denique quum peregrini mercenarii rerum potiti essent, pristina tolerantia, ex religionis negligentia olim natâ, locum fecit fanatismo, diversa sentientes furiose insectanti.

Fieri non poterat quin institutio quoque superior inferiorque harum rerum effectum experiretur. Utriusque historia in Oriente iterum mirum in modum differt ab iis quae in Occidente acciderunt.

Tam apud nos quam apud Mohammedanos inferiores scholae ab Ecclesia originem sumserunt. Nostis in Europa saeculares scholas saeculo VII miserum in modum defecisse et in illarum locum subiisse ecclesiasticas. Diutissime institutio penes clericos fuit et apud multos adhuc est. Quoniam scholae inferiores solae a maxima puerorum multitudine frequentantur, atque adeo solae ad augendam totius gentis intelligendi facultatem appositae sunt, primas omnium constitutas esse opportebat ad eum modum, qui esset maxime idoneus ad propagandam doctrinam in omnibus quibus ea erat opus, id est in unoquoque; sed plerumque ipsae potissimum negligebantur. Vulgari opinione magis id piae beneficentiae opus esse existimabatur quam officium eorum, qui summae rei praeerant; et fortasse in nulla alia re illi, quibus erat maxima rerum omnium potestas, socordius officio suo defuerunt quam in hac ipsa. Tandem aliquando res in melius conversa. Praesertim post res novas in Gallia data opera est ut institutio, ex clericorum manibus erepta, ad civilis potestatis arbitrium transferretur. Multum abest ut id perfectum sit. Clerici, ubi pristinam potentiam retinent, pertinaciter repugnant, et etiam ubi iam videbantur manus dedisse, conantur nunc amissa recuperare. Nondum licet nobis victoria gloriari; sed strenue posuimus principium, quod quantivis facimus, et summa virium intentione id tueri enitemur.

Apud Mohammedanos contra scholae inferiores penes sacerdotes remanserunt, et non progressae sunt, sed retro relapsae. Exorsi sunt semper a Corano, qui male cohaerens et incipientibus nimis difficilis liber est. Itaque merito saeculo XIII Mohammedanus aliquis acutior exclamavit: „O stolidam gentem nostram: a libro divino auspicari puerum iubent, quem librum ita legit ut nihil intelligat!" Antiquitus tamen non erat Coranus

unicum institutionis fundamentum. Etiam saeculo XIV, quamquam late pateret fanatismus, in Hispania et Africa propria in scholis inferioribus classici poëtae et scriptores explicabantur. Sed non erat eadem ubique ratio. Eadem aetate in regionibus admodum fanaticis, veluti in Mauritania, mos invaluerat, nil praeter Coranum docere, exclusis reliquis omnibus. Tales progressu temporis omnes ubique scholae factae sunt, tales sunt hodieque. Neque tamen omni laude carent. Legendi usus etiamnunc pervulgatus est in Mohammedanis regionibus: e. c. in Algeria pro incolarum numero plures sunt viri indigenae legendi periti quam in Gallia. Tenues tamen fert institutio fructus; nam pueri, postquam discendi finem fecerunt, praeter legendi scribendique facultatem, nihil nisi complures Corani locos didicerunt memoriter, neque eos quidem, propter linguam antiquatam, satis intelligunt. De caeteris omnibus, quos nos institutionis fructus esse ducimus, nil prorsus noverunt. Sic evasit Mohammedanus homo angusti animi, ignarus rerum omnium, neque culturae neque humanitatis insignioris capax; et quae de verbo divino pauca se intellexisse opinatur, ea non aliud efficiunt nisi ut diversa sentientes inexpiabili odio persequatur.

Superiores quoque scholae sive Universitates apud nos, ut constat, ut plurimum ab Ecclesia profectae. Multae aut conditae aut stabilitae a Pontificibus, qui sperabant sese Universitatum doctores orthodoxae fidei propugnatores habituros et reapse habuerunt. Primarium locum occupabat Theologia, et reliquas quoque disciplinas Pontifex M. molesto freno coercebat. Protestantium Universitates his quidem vinculis erant solutae, sed diu illarum quoque cervicibus impositum fuit iugum Ecclesiae dominantis, quod iugum nondum excusserunt Universitates Oxoniensis et Cantabrigiensis, quibus non sunt aliae in tota Europa neque opulentiores neque steriliores. Nec mirum: namque illae Universitates, sicuti nostra, conditae erant potissimum ad Theologiae emolumentum. Sed in eo statu non manserunt: caeterae disciplinae magis magisque suum ius vindicare coeperunt, et Theologia, olim praepollens et inique dominata, nunc seras pristinae arrogantiae luit poenas. Exclusa est enim ab liberis Universitatibus quae nostra memoria Londini et Bruxellis conditae sunt. In patria nostra sunt multi qui illam in scientiarum numero habendam esse negant; et

quod maius est, Ministrorum Regiorum collegium, ac tale collegium (id quod sane memorabile) cui magis conservandarum rerum quam novandarum studium consiliumque erat, tale inquam collegium Theologiam ab Universitatibus nostris removere volebat.

Apud Mohammedanos iterum rerum cursus plane in contrarium se convertit. Illorum Universitates, et ipsae conditae ob Theologiam et quae in Oriente cum Theologia fere coalescit Iurisprudentiam, primum numquam tantum scientiarum ambitum complexae sunt, quantum iam diu nostrae complectuntur. Medicinam nonnullae docebant, eaeque paucissimae, omnino nullae Mathematicas et Physicas disciplinas, neque Historiam, neque caetera. Qui ea studia sequi vellet quaerebat sibi alios doctores, quo factum est ut litterarum Arabicarum pars praestantissima nata sit extra Universitates et nonnumquam Universitatibus invitis. Ab initio statim Seminariis quam Universitatibus similiores, quo magis in Mohammedana societate verae humanitatis semina exarescebant, eo magis in illis angusti animi ineptiae gliscebant; et tantum abest ut nunc rerum utilium notitiam spargant, ut potius nil nisi superstitionem, inscitiam, fanatismum et intolerantiam foveant pariantque.

Necesse mihi fuit miserrimum statum scholarum ultimo loco ponere, quoniam illa calamitas ex aliis causis nata est, quas prius exponere oportebat. Sed confidenter quaero ex omnibus, nonne haec una res satis explicet cur ad tantas miserias Mohammedana societas sit redacta. Si quas dotes alma natura ingeniis puerilibus indidit, earum semina institutio huiuscemodi statim enecat. Non acuitur, sed hebescit ingenium. Ubi adolevit, ipsius soboles eodem modo ac fortasse etiam peiore depravabitur; namque illa pestis suapte natura semper gliscit et semper magis exitiosa fieri solet, adeo ut in Mohammedanos quadret quod dixit Poëta:

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Utinam ne umquam illa pestis patriam nostram invadat! Optandum id quidem et votis expetendum est hac aetate, dum debacchantur apud nos factiones Ecclesiasticae, quae si umquam id quod affectant assequi poterunt,

futurum est ut nos quoque sensim et pedetentim eandem pestilentem et exitialem viam ingrediamur, quae Mohammedanos ad hanc perniciem deduxit. Agetedum, quotquot sumus lucis et veritatis amatores, et scientiae, vinculis ecclesiasticis solutae ac plane liberae, vindices, iungamus clypeos, consociemus arma, et summa ope enitamur ne nostram patriam, nostram humanitatem talis calamitas opprimat; — et si forte numerus eorum qui, foedis cupiditatibus abrepti, nostra castra deserunt et ad hostes transfugiunt, semper augebitur; si forte, quod Deus avertat, ad extremum venietur, ac tenebrae, quarum his paucis annis insigniter potentia crevit, fugabunt lucem, obtestamur posteritatem, ut aliquando dicat testimonium, fuisse virorum agmen, qui in acerrimo proelio et in praesentissimo periculo semper intrepidi et inperterriti pro humanitatis causa steterint, idque agmen fuisse Academiam Lugduno-Batavam!

Ad alteram muneris partem accedo, quae brevem enarrationem eorum quae Universitati, me rectore, aut laeta aut tristia acciderunt, postulat.

Curatorum collegium integrum remansisse, illosque Academiae dignitatem ac splendorem maximo studio augere, valde laetamur. Simul vero lugemus tristissimum obitum viri consultissimi Luzac, qui viris amplissimis erat ab actis, quique, acuto ingenio et haud contemnenda doctrina perspicuus, sine dubio, si valetudine fuisset integra, et officio suo egregie functus fuisset, et celebratissimum Luzaciorum nomen strenue vindicasset. Eius locum nunc occupare videmus virum nobilissimum de Bruyn Kops, cui munus in eum collatum ex pectore gratulamur, cuiusque humanitatem et industriam iam multi nostrum experti sunt.

Professorum ordo hoc anno magnam iacturam fecit. Nestor Facultatis disciplinarum Mathematicarum et Physicarum, qui apud populares et peregrinos inter principes zoologiae cultores censebatur, Iohannes van der Hoeven morte extinctus est.

Est hic unus ex paucis qui quod postea fuerunt, non institutioni, non magistris, sed fere sibimet ipsis, suae industriae, suo studio deberent.

Planissime erat αὐτοδίδακτος. In prima iuventute, voluntati vitrici obtemperans, arti chirurgicae aliquamdiu operam dedit; sed tanta vis ingenii in adolescente inerat, ut ieiunam et aridam artis methodum, qualis tum erat, fastidiret et altiora peteret. Itaque Academicam doctrinam sitiebat, medicae arti daturus operam. Non recusabat vitricus; sed praecedere debebat gravis et ardua praeparatio. Scholam Latinam non frequentaverat. Supplevit utcumque defectum privata institutio per annum et sex menses continuata.

Venit igitur octodecim annos natus in Academiam nostram, admodum tenuiter praeparatus, sed quod deerat ipse supplevit. Graecam linguam ut plerasque recentiores Professor creatus demum addidicit; sed Latina studia per omnem studiorum cursum diligenter coluit, lectitabatque potissimum Latinos scriptores, in qua re ad senectutem usque perseveravit. Latine et loquebatur percommode et scribebat; diu docuit Latine, diutius fortasse quam propter mutata tempora auditoribus placebat, et ultimum magnum opus ante hos quinque annos Latine scriptum edidit. Fatendum est multum illa tempora a nostris fuisse diversa: bene Latine scire tum erudito viro erat prorsus necessarium, quoniam erat ille communis sermo eruditorum omnium; sed tamen admiramur iuvenem, qui studio indefesso ipse quod sibi deesse sentiebat ultro supplevit, praesertim quoniam simul Naturales disciplinas, in quibus vitae tabernaculum ponere decreverat, magnam partem se ipsum docere debebat.

Namque hic nihil propemodum horum reperit. Nemo tum Historiae naturalis scientiam docebat. Cl. Brugmans, cuius fuerat Chemiam, Botanicam et Zoologiam docere, nuper diem obierat, et post triennium denique in illius locum Cl. Reinwardt, ex India reversus, erat subiturus. Van der Hoeven igitur ipse suam disciplinam hausit ex summorum virorum scriptis et ante omnes a Cl. Cuvier, qui recentioris Zoologiae conditor iure habetur. Possunt sane quaedam disciplinae — non omnes — sic acquiri, sed qui solus sine duce doctrinam colligit, cum magno temporis dispendio colligit. Per multos menses nonnumquam via quaeritur, quam peritus magister puncto temporis indicasset. Itaque si diu fuisset cunctatus van der Hoeven progressuum specimen proferre, nemo id aegre ferre potuisset. Sed accidit plane contrarium. Undeviginti annos natus in Academia Gandavensi praemio

ornatus est. Post biennium idem honor in Academia Ultraiectina ei obtigit, et eodem fere tempore Societas Ultraiectina colendis Artibus et Disciplinis commentationem ab illo scriptam argenteo praemio decoravit. Nemo putet leve fuisse quaestiones positas scripto libello solvere! Quae ab Academia Ultraiectina posita erat quaestio, iudice viro harum rerum intelligente, tam erat ardua, ut etiamnunc, post dimidiatum fere saeculum, non prorsus solvi posset ab iis qui in his studiis principatum obtinent. Ne hoc quidem existimandum, facilem Cl°. van der Hoeven victoriam de adversariis mediocribus obtigisse. Contra Ultraiecti habebat aemulum postea merito clarum, Guilielmum Vrolik, et censuerat facultas ipsius commentationem sine controversia praemium fuisse reportaturam, nisi ab ea, quam van der Hoeven scripsisset, superata fuisset.

Se ipsum formasse et aetatis anno vigesimo primo tergeminam victoriae palmam tulisse, profecto rara et inaudita res est temporibus nostris et ferme fidem excedens. Quantum industriae, quantas ingenii dotes ea res requirebat!

Brevi postquam summos in Philosophia naturali et in Medicina honores adeptus erat, iuvenis doctor, anno huius saeculi 26, Professor extra ordinem huc vocatus est, ubi per annos quadraginta et duos et eruditis scriptis et eximia institutione fuit in praecipuis nostrae Universitatis ornamentis.

Profecto inter eruditos nostrates nemo erat illo feracior. Praeter 26 opera separatim edita, 98 opuscula maiora et minora in Eruditorum Actis protulit aut in Ephemeridibus. Primaria sunt Compendium Zoologiae et Philosophia zoologica. Priori libro, quem inter primos edidit, sed postea totum recognovit et retractavit, bonam partem, fortasse maiorem partem debuit gloriae, qua per totam Europam fruebatur. In Germanicam et in Anglicam linguam conversus liber est, et non est in Germania, ut nuper Cl. Keferstein Gottingae affirmavit, aliud Zoologiae compendium magis in honore. Alter liber, minus lectus et minus notus, quia et Latine conscriptus est et non est incipientibus accommodatus, sed iis qui iam multum progressi plerasque Zoologiae partes in promptu habent, nihilominus est, ut zoologi testantur, liber eximius et duraturus, in quo auctor phaenomena sine numero observando cognita sub generales conspectus

ordinare scivit, et sic paulatim leges et canones subtiliter indagare, quibus animalium forma et vita regitur. Profecto hoc est scientiae scopum et finem amplifice et digne constituere.

Quid dicam de ingenuo et candido viri pectore? Nihil de indole dicere attinet, nam novimus eum omnes, et illum novisse id est eum magni facere.

Tibi, Cl. Selenka, gravis et ardua mandata est provincia ut nobis et nostrae Academiae Cl. van der Hoeven iacturam compenses. Sed iam te cognovimus sedulo operi incumbentem, et laeti sensimus tuam institutionem nostrae iuventuti iam nunc gratam et acceptam esse. Utinam tibi contingat tantum prodesse quantum van der Hoeven profuit, et tuis scriptis veterem famam nostrae Academiae propagare! Addemus his novum votum. Deerat decessori tuo vel mediocris praeparatorum copia; deerat locus, ubi ea pararentur; deerat prosectoris vel amanuensis adminiculum; deerant illi denique omnia ut praestare posset nostrae Universitati tantum, quantum ab eo sperare licebat. Graviter et diserte ex quo primum Professoris munere fungi coepit, ea sibi deesse pronuntiavit: neque tamen iusta petenti umquam satisfactum est; et testantur nunc qui summi viri vitam scripserunt, patriam et Academiam Lugduno-Batavam per plus quam octo lustra in eo possedisse unum ex praestantissimis recentioris aetatis Zoologis, neque illi facultatem aut copiam fecisse, ut eximias et singulares ingenii dotes ita explicaret, ut intererat institutionis illi demandatae et scientiae cui se totum dederat. Ex animi sententia optamus fore, ut in impetrandis iis subsidiis, quae ad docendum necessaria sint, Tu fias tuo decessore felicior.

Caeterum in Professorum ordine nihil mutatum, nisi quod Prof. Hon. de Iong, Interpres Legati Warneriani et linguarum Persicae et Turcicae lector, cathedram Ultraiectinam ipsi oblatam accepit: quod factum simul dolemus atque laetamur. Dolemus quia carebit posthac nostra Universitas illius sedula opera in provehendis litteris Orientalibus; — laetamur contra quia magna eius merita germana nobis soror ostendit se facere maximi, et quia persuasum habemus, eius accuratam et multiplicem eruditionem in latiore campo multo pluribus frugiferam futuram.

Pauca addenda sunt de studiorum adminiculis et instrumentis.

Prima omnium nunc Specula Astronomica nominetur. Curavit Cl. Kaiser primam partem Annalium in lucem edendam, et addidit Historiam Astronomiae et Observatorii in nostra Universitate, descriptionemque Observatorii in praesenti statu et quae nunc sunt in usu Instrumentorum. Profecto magnum et memorabilem laborem peregit, cuius ei habemus gratiam. Ex illo constat per indefessam collegae nostri industriam et sollertem curam factum esse ut Astronomia quo non antea modo apud nos floreat.

Museum Numismaticum novum Praefectum accepit Virum Doctissimum Ianssen, qui demortui decessoris vice iam per annum functus erat. Gratulamur ei munus quod ex animi sententia adeptus est. Quum sit omnium Archaeologiae partium tam peritus, confidimus fore ut de Museo Numismatico perinde bene mereatur, ut antea de Museo Archaeologico meritus est; praesertim ubi illis opibus et copiis, in diem crescentibus, melior et dignior sedes erit assignata, cuius rei Curatores Ampl. spem fecerunt.

Tandem ad Vos mea se convertit Oratio, iuvenes lectissimi, huius Academiae cives! Quatuor vobis ereptos lugemus studiorum socios, Sicherer, Boerlage, Noordziek et Oort. Flebili desiderio optimos iuvenes prosequemur et pie eorum memoriam servabimus parentes, cognati, amici, praeceptores.

Alii bene multi vestro numero accesserunt, unde documentum capimus Academiae famam mansisse integram. Nos vero minus civium multitudinem quam praestantiam in gloria ponere oportet. Virtutem autem vestram morumque honestatem si praedicamus, id iure meritoque fieri valde laetamur. Studiorum amorem, ut vos vestra in scholis frequentia et assiduitate, sic plures, qui nobis hoc anno valedixerunt, doctis monstrarunt dissertationibus. Utinam addere possem, eundem luculenter patere ex praemiis reportatis in certamine litterario, ab Academia Ultraiectina aperto; sed admodum pauci ad illa praemia adspirarunt, inter quos unus e nostris, ornatissimus Hartogh, argenteo nummo condecoratus est. Novi nunc. aperiuntur ludi. Recitabo programma certaminis litterarii, Regis favore hoc anno ab Academia Lugduno-Batava editum.

(*Recitat Rector M. programma certaminis litterarii.*)

Habetis quaestiones. Vos, generosi adolescentes, una cum aliarum academiarum civibus, in pulcherrima hac Musarum palaestra vires periclitemini. In quo agendo non tam honores spectetis, e praemio ferendo in victorem redundaturos, quam ipsam optimarum rerum scientiam, quam disquirendo et explorando consecuturi estis. Antiquam porro tuemini iuventutis Batavae in litteris excolendis gloriam!

Ad finem perveni orationis, qui idem finis erit mei magistratus. Fasces Academiae igitur tibi trado, Cl. Evers. Salve, Vir Magnifice, iterumque salve! Te duce crescat floreatque alma nostra mater!

DIXI.

IOHANNIS VAN DER HOEVEN

SCRIPTA EDITA.

I. Scripta seorsim edita.

Dissertatio philosophica inauguralis de sceleto piscium. Lugd. Batav. 1822.

Dissertatio pathologica inauguralis de morbis aurium auditusque. Lugd. Batav. 1824.

Handboek der Dierkunde, of Grondbeginsels der natuurlijke geschiedenis van het Dierenrijk, 2 deelen. Rotterdam 1828—1833.

Tabula Regni animalis, additis classium ordinumque characteribus. Lugd. Batav. 1828.

Tafel van het Dierenrijk, met bijvoeging der kenmerken van de klassen en orden. Leiden 1829.

Handboek der Dierkunde, tweede verbeterde en vermeerderde uitgave. Amsterdam 1849—1855. — Versio Germanica, facta a F. Schlegel et R. Leuckart, prodiit annis 1850—1856 Lipsiae, versio Anglica, facta a W. Clark, annis 1856—1858 Cantabrigiae.

Tabula Regni animalis, quam secundum alteram enchiridii sui zoologici editionem scripsit. Lugd. Batav. 1856.

Icones ad illustrandas coloris mutationes in Chamaeleonte. Lugd. Batav. 1831.

Beknopte handleiding tot de natuurlijke geschiedenis van het Dierenrijk. Haarlem 1836. Altera editio emendata, etiam sub titulo: Leerboek der Dierkunde, ten dienste van het middelbaar onderwijs, prodiit anno 1864, Lugd. Batav.

Recherches sur l'histoire naturelle et l'anatomie des Limules. Leide 1838.

Iets over den grooten zoogenoemden Salamander van Japan. Leiden 1838.

Bijdragen tot de natuurlijke geschiedenis van den Negerstam. Leiden en Amsterdam 1842.

Eenige bedenkingen over geneeskundig onderwijs. Leiden en Amsterdam 1842.

Oratio de aucta et emendata zoologia post Linnaei tempora. Lugd. Batav. 1843.

Herinneringen aan een reis naar Stokholm, ter gelegenheid van de vergadering der Scandinavische natuuronderzoekers in Julij 1842. Amsterdam 1843.

Bijdragen tot de kennis van de Lemuridae of Prosimii. Leiden 1844.

Schets van de natuurlijke geschiedenis van den Mensch. Leiden 1844.

Redevoeringen en Verhandelingen. Amsterdam 1846. — Germanice sub titulo: Ergebnisse der Naturforschung für das Leben, Vorträge und Abhandlungen. Berlin 1848.

De vera comparatae anatomiae indole. Lugd. Batav. et Amst. 1848.

Natuurlijke geschiedenis van het Dierenrijk, in de nieuwe uitgave van J. A. Uilkens, De Volmaaktheden van den Schepper in zijne schepselen beschouwd. Leeuwarden 1857.

Berigt omtrent het mij verleende ontslag als Opperdirecteur van 's Rijks Museum van natuurlijke historie. Leiden en Amsterdam 1859.

Brieven over gelooven en weten. Haarlem 1859 (sine nomine auctoris).

Catalogus Craniorum diversarum gentium. Lugd. Batav. 1860.

Eenige mededeelingen omtrent de voorwaarden tot verkrijging der bevoegdheid tot uitoefening der geneeskunde, die buiten 's lands vereischt worden. Haarlem 1862.

Philosophia zoologica. Lugd. Batav. 1864.

Ontleed- en dierkundige bijdragen tot de kennis van Menobranchus, den Proteus der meren van Noord-Amerika. Leiden 1867.

II. Scripta in actis academiarum et societatum.

a. *Annales Academiae Gandavensis.* 1820.

Responsum ad quaestionem: Quis sit usus, qualisque dignitas anatomes comparatae in stabiliendis regni animalium divisionibus?

b. *Annales Academiae Ultraiectinae.* 1821.

Responsum ad quaestionem: Quaeritur brevis et distincta expositio fabricae et functionis organi auditus in homine, recentiorum etiam anatomicorum observationibus, et anatome comparata ita illustrata, ut ex hisce pateat, quaenam sit huius organi pars ad audiendum maxime necessaria, et qua in re illud praestantius in homine, quam in brutis sit censendum?

c. *Provinciaal Utrechtsch Genootschap van Kunsten en Wetenschappen.*

Disputatio de causarum finalium doctrina, eiusque in zoologia usu. Nieuwe verhandel., 3de Deel 1824 (Bekroond in 1822).

d. *Eerste klasse van het Koninklijk Nederlandsch Instituut.*

Bijdrage tot de kennis van den Potto (Pterodictius). — Verhand. 3de reeks, Dl. 4, 1851, p. 1.

e. *Koninklijke Akademie van Wetenschappen. Afdeeling Natuurkunde.*

Over het geslacht Icticyon van Lund. Verh. Dl. 3, 1855.

Bijdragen tot de ontleedkundige kennis aangaande Nautilus Pompilius, vooral met betrekking tot het mannelijk dier. — Verh. 1856. — (Vertaald in Archiv für Naturgeschichte 1857. Bd. I, p. 77, Annales des sciences naturelles, 4me sér. Zool. 1856, p. 290, en Annals and Magazine of Natural History, 1856, p. 58).

W. Vrolik en J. van der Hoeven, Beschrijving en afbeelding van eenen te Pompeji opgegraven menschelijken schedel. — Verh. 1859. Dl. 7.

F. A. W. van Campen, Ontleedkundig onderzoek van den Potto van Bosman; uit zijne aanteekeningen bijeengebragt door J. van der Hoeven. — Verh. 1859. Dl. 7.

f. *Academia Leopoldina Carolina Naturae curiosorum.*

Mémoire sur le genre Ornithorhynque. — Nova acta 1823. T. XI, P. II, p. 351 et 1825, T. XII, P. II, p. 869.

Annotationes de quibusdam Mammalium generibus. — Nova acta 1839. T. XIX, P. I, p. 169.

Annotationes de Dromade Ardeola Payk. Nova acta 1867.

g. *Zoological Society.*

Contributions to the knowledge of the Animal of Nautilus Pompilius. Transact. 1850. Vol. 4, p. 21.

h. *Société d'histoire naturelle de Strasbourg.*

Fragments zoologiques sur les Batraciens. — Mémoires 1840. T. 3.

i. *British Association.*

On the Structure of Nautilus Pompilius. — Reports 1847, p. 77.

On the genus Pterodictius of Bennett. Ibid. 1850, p. 125.

III. In diariis.

a. *Isis.*

Die Zahl der Glieder des Tarsus der Insecten. — 1824. Lit. Anz., p. 422.

b. *Archiv für Anatomie und Physiologie.*

Bemerkung über Bojanus's Darstellung des Athmens der Acephalen. 1828, p. 502.

Ueber die Durchkreuzung der Sehnerven beim Kabeliau. 1832, p. 412.

Ueber die zellige Schwimmblase des Lepidosteus. 1841, p. 221.

Ueber die Schädel Slavonischer Völker (mitgetheilt von Retzius). 1844, p. 433.

c. *Archiv für Naturgeschichte.*

Einige Worte über die Gattung Limulus. 1838. I, p. 334.

d. *Froriep's Tagesberichte.*

Generations-Wechsel und Generatio aequivoca. 1851, N°. 296.

e. ***Magazin de Zoologie.***

Spheniscus ferrum equinum. n. sp. 1839. Ins. pl. 4.

f. ***Annales des sciences naturelles.***

Essai sur les dimensions de la tête osseuse considérées dans leur rapport avec l'histoire naturelle du genre humain. — 2de sér. Zool. 1837. T. 8, p. 116.

Note sur une nouvelle espèce de Cryptobranchus. — 2de sér. Zool. 1839. T. 11, p. 63.

g. ***Bijdragen tot de Natuurkundige Wetenschappen, verzameld door H. C. van Hall, W. Vrolik en G. I. Mulder.***

Systematische beschrijving van eenige Insekten van Noord-Nederland. 1826. Dl. I, p. 338.

Over het vleugelhaakje bij de avond- en nachtvlinders. 1827. Dl. 2, p. 278.

Iets over de vermenigvuldiging der Armpolypen (Hydra). 1827. Dl. 2, p. 551.

Iets over de spoor van den Ornithorhynchus. 1827. Dl. 2, p. 508.

Over een nieuw kenmerk om het geslacht Libellula van Aeshna te onderscheiden. 1828. Dl. 3, p. 325. (Ann. des sc. natur. 1828, p. 423.)

Over het inwendig maaksel des Veenmols. 1830. Dl. 5, p. 94.

Het trommelvlies van den Bradypus tridactylus van buiten bol. 1830. Dl. 5, p. 98.

Over de Chinchilla, Mus laniger van Molina (Eriomys n. g.) 1831. Dl. 6, p. 105.

Kleine ichthyologische aanteekeningen. 1831. Dl. 6, p. 338.

Eenige aanteekeningen over de kenmerken van het geslacht Bombinator van Merrem en over de soorten die daartoe behooren. 1832. Dl. 7, p. 77.

h. ***Tijdschrift voor Natuurlijke Geschiedenis en Physiologie, uitgegeven door J. van der Hoeven en W. H. de Vriese.***

Bijdragen tot de natuurlijke geschiedenis van den Mensch. 1834. Dl. 1, p. 86.
〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 247.
〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 1835. 〃 2, 〃 356.
〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 1836. 〃 3, 〃 89.
〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 116.
〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 1837. 〃 4, 〃 262.
〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 〃 1839. 〃 6, 〃 248.

S. Nillson, Bijdrage tot de ontwikkelings-geschiedenis des menschelijken geslachts. 1844. Dl. 11, 2de afd. p. 20.

Nog een woord over de Chinchilla, 1838. Dl. 2, p. 159.

Iets over het onderscheid tusschen de kiezen der boven- en onderkaak bij de Olifanten. 1836. Dl. 3, p. 53.

Over Lepidosiren paradoxa. 1837. Dl. 4, p. 407.

Iets over den grooten Salamander van Japan. 1837. Dl. 4, p. 375.

Eenige denkbeelden over de waarde der dierkunde en over de regte wijze om haar te beoefenen. 1838. Dl. 5, p. 88.

Beschrijving van Buprestis Daleni. 1838. Dl. 5, p. 338.
Papilio Payeni. 1838. Dl. 5, p. 320.
Colias Verhuellii n. sp. 1838. Dl. 5, p. 341.
Over het getal der stigmata bij Scolopendra. 1838. Dl. 5, p. 232.
Bulla albo-cincta n. sp. 1839. Dl. 6, p. 245.
Eenige geschiedkundige aanteekeningen betreffende Vlinders met rupsenkoppen. 1840. Dl. 7, p. 271.
Beschrijving van eenige nieuwe of weinige bekende inlandsche soorten van Lepidoptera. 1840. Dl. 7, p. 271.
Over de soorten van het geslacht Limulus. 1841. Dl. 8, p. 272.
Verzameling van berigten over Amphioxus lanceolatus. 1841. Dl. 8, p. 73.
Groote bloedschijfjes bij Cryptobranchus japonicus. 1841. Dl. 8, p. 270. (Ann. d. scienc. natur. 2de sér. zool. T. 51, p. 215.)
Bijdrage tot de kennis van het geslacht Phrynus. 1842. Dl. 9, p. 68.
Over de zamengestelde oogen bij het geslacht Limulus. 1843. Dl. 10, p. 95.
Iets over Phrynus variegatus. 1843. Dl. 10, p. 94.
Het zenuwstelsel van Telyphonus. 1843. Dl. 10, p. 369.
Eene monstrositeit door verdubbeling bij Carabus auratus. 1843. Dl. 10, p. 371.
Mededeeling over jonge vischjes, waarschijnlijk jongen van Esox belone. 1843. Dl. 10, p. 1.
Bijdragen tot de kennis der Lemuridae of Prosimii. 1844. Dl. 11, p. 1.
Beschrijving van eenige nieuwe of weinig bekende uitlandsche soorten van Lepidoptera. 1845. Dl. 12, p. 251.

i. *Bulletin des sciences physiques et naturelles en Néerlande rédigé par F. A. W. Miquel, G. J. Mulder et W. Wenckebach.*

Espèces nouvelles d'Insectes. 1839, p. 119.

k. *Het Instituut, of Verslagen en Mededeelingen, uitgegeven door de vier klassen van het Kon. Ned. Instituut.*

Eenige opmerkingen over de plaats van het uitgestorven geslacht Pterodactylus. 1846, p. 430.

l. *Tijdschrift voor de wis- en natuurkundige Wetenschappen, uitgegeven door de eerste klasse van het Kon. Ned. Instituut.*

Eenige afwijkingen in den vorm van het hoofd, waargenomen bij een mannelijk voorwerp van Nautilus Pompilius. 1848. Dl. XI, p. 67.
Over den schedel van den Kaffer. 1849. Dl. 2, p. 48.
Beschrijving van twee schedels van Guajiro's. 1852. Dl. 5, p. 90.

m. *Verslagen en mededeelingen der Kon. Akademie van Wetenschappen. Afdeeling Natuurkunde.*

Iets over den Pitecheir melanurus van F. Cuvier. 1859. Dl. 9, p. 59. (Ann. a. Mag. of Nat. History 1859. Vol. 3, p. 479.)

Beschrijving van eenen Magyaren- en van eenen Esthlander schedel. 1861. Dl. 12, p. 83.

Eenige aanteekeningen over Martinus Slabber's Natuurkundige verlustigingen; benevens opgave der systematische namen van de daarin afgebeelde diersoorten. 1862. Dl. 14, p. 270.

Beschrijving van schedels van inboorlingen der Carolina-eilanden. 1865. 2de Reeks. Dl. 1, p. 246.

n. *Tijdschrift voor Entomologie, uitgegeven door de Nederlandsche entomologische vereeniging, onder redactie van J. van der Hoeven, M. C. Verloren en S. C. Snellen van Vollenhoven.*

Note sur les genres Cecrops et Laemargus. 1857. Dl. 1, p. 67.

Quelques notes sur le cri que fait entendre le Sphinx Atropos. 1859. Dl. 2, p. 117.

Iets over den Acarus eruditus van Schrank. 1860, p. 158.

Over een klein Hemipterum, dat op de bladen van verschillende soorten van Acer gevonden wordt. 1863, p. 1.

o. *Archives Neerlandaises des sciences exactes et naturelles, publiées par la Société hollandaise des sciences à Harlem.*

Note sur le carpe et le tarse du Cryptobranchus japonicus. I. p. 321.

Les globules du sang du Menobranchus. II. p. 288.

p. *Album der Natuur, onder redactie van P. Harting, D. Lubach en W. M. Logeman.*

De haring en de haringvangst. 1852, p. 161.

Over vogels zonder vleugels van Nieuw-Zeeland. 1853, p. 1.

Iets over den leeftijd der bijen. 1853, p. 375.

Eenige woorden over het lichten van een Zuid-Amerikaanschen Springkever. 1855, p. 205.

Over de behandeling en de genezing der idioten. 1855, p. 374.

Over walvischachtige dieren in het algemeen en dolfijnen in het bijzonder. 1856, p. 371.

Over parelen en het maken van parelen in China. 1857, p. 244.

Over de opvolging en ontwikkeling der dierlijke bewerktuiging op de oppervlakte onzer planeet, in de verschillende tijdperken van haar bestaan. 1858, p. 33.

Het werken en leven van Linnaeus. 1859, p. 148.

Een nieuwe soort van Siluroide. 1860, p. 83.

De geographische verspreiding der dieren. 1861, p. 368.

Over de taal en de vergelijkende taalkunde, in verband met de natuurlijke geschiedenis van den mensch. 1862, p. 80.

L. Euler's Brieven aan eene Duitsche prinses. 1863, p. 59.

Eenige opmerkingen over de bronsperiode in Scandinavie, als bijdrage tot de ontwikkelingsgeschiedenis van het menschelijk geslacht. 1865, p. 155.

Drie brieven van F. Hemsterhuis. Eene mededeeling betreffende de beoefening der natuurlijke historie in het midden der vorige eeuw. 1865, p. 257.

Een negerschedel uit een oud klooster in Zuid-Holland afkomstig. 1866, p. 374.

De werken Gods. Eene reisherinnering. 1867, p. 308.

ACTA ET GESTA IN SENATU,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

A. 1868.

Die 15 m. Iulii. Senatus luget obitum V. Clarissimi I. van der Hoeven, in Facultate Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum Professoris Ordinarii.

Die 6 m. Novembris. Recitantur litterae Curatorum, d. d. 16 m. Iunii, quibus Senatus fit certior, Decreto Regio die 3 huius mensis Curatorum Collegii Actuarium factum esse Virum Ornatissimum W. G. de Bruijn Kops; porro ad tempus creatum esse I. H. van Dijk, Med. Cand., qui chirurgiae assisteret.

D. d. 30 m. Sept., ad tempus creatum esse qui in physiologico laboratorio assisteret, V. Doct. F. Place, in locum V. Doct. S. van der Horst, cui petenti missio honesta data est.

D. d. 20 Octobris, decreto Regio d. d. 29 Sept. Professorem creatum esse in Facultate Discipl. Math. et Phys. V. Doct. Emilium Selenka, qui adhuc Göttingae rei zoölogicae praefecto assisteret.

D. d. 26 Oct., Orn. I. H. van Dijk, Med. Cand. et V. Doct. I. E. van Iterson I. A^{i}. filio petentibus honestam missionem concessam, et in eorum locum suffectos esse qui ad tempus chirurgicae et clinicae institutioni assisterent V. Doct. I. E. van Iterson I. A^{i}. fil. et S. van der Horst.

Clar. E. Selenka munus auspicatur, habita oratione inaugurali: *de animalium distributione geographica.*

1869.

Die 20 Ianuarii. Recitantur litterae Curatorum, d. d. 16 Nov., Senatum certiorem facientes, Musei numismatici praefectum creatum esse V. Doct. L. I. F. Ianssen, simul honorifice dimissum a munere conservatoris in Museo Archaeologico.

Candidati e quibus in proximum annum academicum Rector Magnificus a Rege contituatur, designati sunt Viri Clar.

I. G. C. Evers,
I. E. Goudsmit,
L. W. E. Rauwenhoff,
D. Bierens de Haan.

Candidati e quibus eligatur Actuarius designantur Viri Clar.

R. P. A. Dozy,
R. van Boneval Faure,
A. Heynsius,
I. H. Scholten.

Placuit ut novo Rectori Assessores adderentur Viri Clar.

R. van Boneval Faure,
L. W. E. Rauwenhoff,
P. L. Rijke,
I. H. Stuffken.

Die 8 Febr. Recitatur Regis decretum, quo in annum ineuntem Academiae Rector Magnificus creatur Vir Clar. I. C. G. Evers, in Facultate Medica Professor ordinarius. Rector refert in conventu Curatorum cum Rectore et Assessoribus e quatuor candidatis Actuarium in proximum annum creatum esse Virum Cl. R. P. A. Dozy. Leguntur litterae Curatorum, cum Senatu communicantes, Viro Doct. A. van Hennekeler Observatori in specula astronomica honestam missionem concessam esse et in eius locum creatum esse V. Doct. C. L. F. Kampf.

Rector Magnificus cum Senatu descendit in Auditorium maius et ex cathedra orationem habet: *de causis cur Mohammedanorum cultura et humanitas prae ea quae Christianorum est immunita et corrupta sit.* Mox enarratis Academiae fatis, solemnibus verbis magistratum ponit.

Novum Rectorem Magnificum Professores deducunt et perofficiose salutant.

ORATIO

DE

ANIMALIUM DISTRIBUTIONE GEOGRAPHICA,

QUAM HABUIT

EMILIUS SELENKA,

A. D. XXVI OCTOBRIS A. CIϽIϽCCCLXVIII,

QUUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM PROFESSIONEM ORDINARIAM SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.

PERILLUSTRES HUIUS ACADEMIAE CURATORES, PROFESSORES, LECTORES! CIVES! VIRI AMPLISSIMI, CLARISSIMI, DOCTISSIMI! COMMILITONES EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE HIC ADESTIS, MUNERUM DIGNITATE VEL ERUDITIONIS LAUDE CONSPICUI! AUDITORES SPECTATISSIMI, HUMANISSIMI!

Ut ceterae Historiae naturales, ita Zoologia cognitione nititur rerum, quae observatione et experimentis inveniuntur. Sed consentaneum est, nos in rebus hac ratione cognitis, quippe quae sint singulares neque inter se cohaereant, acquiescere non posse, mens postulat rerum unitatem, legem quaerit quâ *singula* in *unum* quoddam iungantur.

Quem ad finem etsi fortasse nunquam perveniemus, tamen hoc mentis desiderium, quantum fieri potest, explere studemus, res cognitas comparantes, quae sit earum vis atque natura quaerentes, ad unam denique rationem eas revocantes.

Utrique rei, summi historiae naturalis magistri operam dederunt, et rebus inveniendis et earum legibus cognoscendis atque hac ipsa ratione scientiam summopere auxerunt. Saepe egregii ingenii homines rebus iam pridem notis novam lucem attulerunt, eosque saepe secuti sunt posteri per saeculorum spatium, et novis rebus indagatis confirmare studuerunt. Cuiusmodi iudicium, etsi fortasse falsum esse deinde apparuit, tamen multum profuit, quod et ad res novas investigandas et ad res diu cognitas denuo tractandas homines excitavit.

Iam vero Zoologiae, quum in ceteris partibus, tum in ea qua de geographica animalium distributione agitur, non modo singula sunt perspicienda plurima, sed etiam offeruntur, quibus inter se coniunctis novam eamque gravissimam rerum observandarum rationem invenias. Quod quia summo

5*

est momento, quum de oeconomia naturae perspicienda agatur, ingeniosissimi homines nuper hanc Zoologiae partem summa diligentia tractavere.

Inter eos qui de hac disciplina bene meriti sunt, Van der Hoeven nominandus, qui quum aliis locis tum in libro qui inscribitur Philosophia Zoologica multas de animalium distributione geographica praestantissimas sententias protulit. Maxime libro illo quem dixi, qui et sententiarum compositione ac perspicuitate et pressa dictione insignis est, adductus sum, ut hodie nonnulla de via ac ratione dicerem, quâ geographica animalium distributio tractanda mihi videtur. Quodsi per temporis brevitatem omnia quae praeclarissimus ille Van der Hoeven ipse invenit, afferre mihi non licebit, tamen memoriam certe eius meritorum verba mea nobis esse reductura spero.

Quo longius ab aequatore ad polos versus progredimur, formarum varietas imminuitur; zona temperata et calida semper maiorem corporum et formarum numerum gignit quam frigida zona. Ubi nix et glacies solum tegit, et animalia et plantae aut omnino non possunt vivere aut eis tantum temporibus quibus nix evanuit. Tum parvae plantae quae ad algarum et muscorum ordinem pertinent, proveniunt; animalia vero aut prorsus desunt aut ea solum reperiuntur quae in aqua vivant, quorum vitae saepe cursus illi aquarum submarini favent. Quo longius vero a polo discedimus ea magis animalium atque vegetabilium et copia et formarum varietas increscit, eoque plures species invenimus. In regionibus arcticis enim, quamvis ingens quibusdam temporibus individuorum numerus exsistat, specierum tamen numerus admodum parvus est. Quamquam hac in re plantae ab animalibus differunt, algis et muscis mox arbores coniferae continuantur et propius a meridie praeclarae quercuum, fagorum, salicum silvae. Ingentes vero arbores uti palmae inter circulum brumalem et solstitialem demum inveniuntur. Aliter res in animalium regno se habet. Maximi enim amplissimi corporis animalia, Balaenae, in regionibus arcticis vivunt. Avium quidem, reptilium, multorum aliorum animalium regio australis maximas species exhibet. Inde satis apparet, id quod supremis his annis saepius disceptatum denique probatum est, animalium corpora aut climatis vim sustinere aut facilius ei se accommodare quam plantae, quae quum ex loco moveri non possint, ab impetu et vi coeli sese defendere nequeant.

Iam si ab occidente ad orientem versus progredimur, sequentes circulos parallelos, prorsus alia discrimina nanciscimur. Si parvas illas temperationis mutationes et fluctuationes, quae lineis isothermicis designantur, negligimus, inter eosdem circulos parallelos plerumque similes species invenimus atque cognoscimus, certa illa discrimina, quae vicissitudinibus anniversariis efficiuntur, similiter semper vitae rationem mutare. Ut Europa, ita America septentrionalis frondosas quercuum et coniferarum arborum silvas habet, prata graminosa et luxuriosa et faunam nostrae similem. Sed etsi in universum fere eadem nobis natura videtur esse, tamen si accuratius observamus, quo longius a certo aliquo loco profecti in utramque partem et occidentem versus et orientem versus progredimur, eo magis formas inter se discrepare animadvertimus. Sed hae ipsae differentiae egregio studio tractantur, ut quae sit lex in iis cognoscamus.

Atque duae maxime res discrimina quae in faunis inveniuntur, efficere videntur: magna maria aeque ac montes alti et longe patentes. Maria minus ampla minoris quoque sunt momenti; contra oceani quibus magnae orbis partes separantur, ad vegetabilium et animalium vitam plurimum valent.

America non solum novissima terrarum pars sed etiam copia et varietate formarum maxime inops. Quae terra quum nonnisi a septentrione ad meridiem versus in ora maritima occidentali altis montibus incisa sit, proprias illa quidem et prorsus singulares formas exhibet neque vero tantam habet formarum copiam quantam ceterae terrae. In meridionali tantum Americae parte, Andibus faunae et florae facies mutatur; Auchenia lama quidem una in occidentali Andum parte invenitur; contra gentes orientalem terrae partem incolentes neque ullam habuerunt cicur animal neque frumentum cognoverunt, antequam Europaei utrumque eis attulerunt.

Considerantes geographicam animalium distributionem intelligimus, eam qualem nunc videmus non ab initio fuisse, sed paullatim esse ortam. Quum enim Palaeontologia doceat, animalium distributionem superioribus terrae aetatibus magis fuisse universam longiusque patuisse, meminisse nos oportet, terrae temperationem superioribus temporibus magis aequabilem neque coeli diversitates tantas fuisse ut faunam dividerent in multas partes certis finibus circumscriptas. Sin vero sumimus illam singulorum

animalium per diversas continentes, insulas, maria; distributionem qualis nunc est, ab initio fuisse et formas illas his ipsis locis esse natas, propriam uniuscuiusque faunae faciem aliter vix explicare possumus quam ita ut quot species todidem diversas origines fuisse existimemus. Deinde vero quod singulae species saepe finibus suae regionis egrediuntur et in vicinas faunas invadunt, atque quod una eademque species, id quod haud raro fit, locis remotissimis nullo modo cohaerentibus invenitur, id non satis apte eo explicari mihi videtur, quod species, a certis quibusdam locis quibus ortae sunt profectae nuper in diversas regiones diffusae esse dicantur. Nam ut omittamus quod verisimile non est, singulas species forte fortuna in remotissimas regiones esse translatas, quomodo cognationem omnium diversissimis locis viventium animalium explicabimus?

Darwin ille quidem, ut haec explicaret, omnia animalia ab uno vel nonnullis prototypis originem ducere statuit, e quibus telluris mutationibus paullatim omnia animalia fossilia, hoc est extincta, et adhuc viventia selectione naturali orta essent. Multum hoc ipso tempore de hac opinione disputatur, quae ad illustrandam Zoologiam quoque maximo fuit momento, quod novas de rebus iam pridem cognitis iudicandi rationes attulit et homines ad eas cognoscendas denuo excitavit.

In tractanda geographica animalium distributione ante omnia ratio habenda est migrationis, quae, ut iam antea commemoravimus, montibus et maribus saepe impeditur. De qua ut recte iudicemus, ea animalia praecipue spectare nos necesse est, quae a natura maxime exiguis et imperfectis instrumentis praedita sunt, quibus ex loco sese commoveant. Quod contigit gastropodis pulmonatis, quorum species nullis eiusmodi instrumentis instructae haud facile in alias regiones diffundi potuerunt. Quod igitur ad haec mollusca attinet, omnes illae insulae singulares et a Continente prorsus seiunctae proprias suas faunas aeque exhibent atque amplae lateque patentes terrae, in quibus migratio neque altis montibus neque aliis rebus impeditur; Sancta Helena quidem insula aeque sua habet gastropoda pulmonata ac tota pars septentrionalis orbis antiqui, a Britannia usque ad Amur flumen et montana Tibethiana unam continuam, non interruptam faunam gastropodum praebet. Ita magnae Continentes, si faunas respicimus, in paucas dividuntur areas, parvae vero insulae sparsae per maria

et ipsae singulas partes efficiunt. In has igitur areas circumscriptas omnesque eas quae superioribus telluris aetatibus fuerunt, animalia aut a certis locis quibus orta sint, profecta pervenisse putanda sunt, aut omnes faunae, quamvis nunc sint separatae, ultima membra existimandae sunt serierum, quae gradatim ad maiorem perfectionem venerunt, quas quum initium in superiore quadam terrae aetate sit, per omnia terrae coria, quae paullatim consederunt, persequi nobis licet, atque ita quidem ut proxima quaeque aetas simillimas formas praebeat. Sed ubique demonstrare quomodo formae adhuc extantes cum formis extinctis cohaereant difficillimum est. Nam quae antea migrationi fortasse obstabant, ea postea evanuerunt; et ubi superiore tempore impedimenta nulla fuerunt, posteriore orta sunt, quum, ut unum exemplum afferam, terrae olim continuae dividerentur. Britannia quidem, quae eandem faunam atque nostra Continens praebet, certissime diu cum hac coniuncta fuit; postea mare has terras divisit et quominus ab una in alteram animalia migrarent impedivit.

Ad ingentem animalium varietatem explicandam Darwin doctrinae illi grave momentum addit, quum statuit, summum animalium numerum certo quodam loco nonnisi summa structurae et naturae incolarum differentia effici. Ex hac sententia altera illa necessario sequitur, animalia sensim ad maiorem perfectionem pervenire studere. Quod multae illae quidem animalium formae, quibus intervalla inter multa genera intercedentia explentur, interierunt, hanc sententiam probare non videtur; sed, si quidem Darwini doctrinae assentiri volumus, summam quoque formarum varietatem, quae necessario ex illa sequitur, accipere cogimur et formarum interiectarum interitum aliis ignotis rebus effectum esse existimamus.

Apparet igitur geographicam animalium distributionem et a facultate eorum coelo sese accommodandi, et a multis rebus externis pendere. Simulatque vero homines extiterunt, distributio illa valde mutabatur. Aut enim homines inviti animalia in alias regiones transtulerunt, ut murem decumanum navibus, aut voluntate, uti animalia domestica bombycem mori, cyprinum carpionem, canem familiarem, suem scrofam. Qua re Brandt adductus est, ut in distribuendis animalibus quaerendum esse censeret, utrum pluribus an duobus an uni climati sese accommodare possint.

Quae distinctio quamvis idonea et utilis sit, tamen indistributione geographica, qualis nunc re vera est, illam animalium facultatem minima ex parte examinare possumus. Si vero per ea quae adhuc de illa re observata sunt iudicare nobis licet, dicendum est animantia prorsus aclinica fortasse nulla esse.

Quamnam vim coeli temperatio ad distributionem geographicam habeat, optime in gelidis regionibus cognosci potest. Quum ad axem septemtrionalem Continentes paene inter se contingant, sumere possumus, fannam arcticam magis acquabilem fore. Quomodo autem cxplicabimus, quod in temperatae et calidae Zonae altissimorum montium iugis, quae nive tecta sunt, eae animalium formae inveniuntur, quae praeterea nonnissi in fanna arctica extent? Non eo a polo migraverunt quum terrae facies talis erat, qualis nunc est; nam Zona temperata et calida, quas ea peragrare necesse fuit, nulla eorum vestigia praebent. Atqui ubicunque in mediis Zonis temperatis, solo in altum sublato, aer gelidus est et regioni septentrionali similis, hac singulares formae inveniuntur, quas alpines vocamus. Haec omnia loca eandem fere fannae faciem praebent, id quod sponte apparet, si formae alpines, quas in antiquis continentibus nanciscimur, cum formis novarum Continentium comparantur. Quamquam nonnullis locis communis haec facies, illius tereae et coeli natura aliquid mutatur. Quomodo haec omnia explicabimus? Formae illae reliquiae existimandae sunt temporis illius quo glacies non septentrionalem tantum Europae partem tegebat, sed quod ex quaestionibus accuratissimis nuper institutis concludere nobis licet, permagnam terrae partem circumdabat.

Dicentes de diversa altitudine locorum, quae sub eisdem circulis parallelis sita sunt et de coeli temperatione ab illa pendente, lineas isothermicas denuo commemorare debemus, quae omnia ea terrae loca iungunt, in quibus coeli temperatio fere eadem est. Sed quum ad animalium vitam sustentandam pluris intersit, aerem aliquo loco non nimis frigescere, quam paullo calidiorem fieri, melius esse videtur, lineas isocrymales per terram ducere, quibus ea loca iunguntur, quae eundem frigoris gradum numquam transgrediuntur. Neque vero hoc solum ad terrestrium fannarum distributionem observandam magno est momento; sed maior etiam ad marinas fannas cognoscendas. Ut in Continente alia est fanna in summo monte, alia in

montis radicibus, ita etiam in mari alia animalia prope maris superficiem, alia in profundo vivunt. Deinde vero etiam orae et fluctus atque cursus aquarum multum ad temperationem mutandam valent et lineas isocrymales confundunt. Nam aquae marinae temperatio prope oram plerumque frigidior, in alto autem aequabilior est. Accedit quod loca altissima prope oram, minuente aestu, siccantur et ventis aërisque impetui obiecta sunt.

In natura deinde eorum animantium qui profundissimis maris locis vivunt cognoscenda, semper aquae pressus ratio habenda est, quem illi sustinere coguntur. Multa animalia certis quibusdam instrumentis praedita sunt, quibus pressui illi resistere possint, uti Squali, Nautili, Echinodermata; haecce propter duram et inflexibilem cutem viscera tegentem premente aqua certe prorsus eliderentur, nisi certo quodam apparatu instructa essent. Consentaneum est animalibus aliter constitutis alia esse organa data; in multa denique animalia, quorum corpora mollia sunt, neque certam habent formam, aqua nihil efficere potest, ut quae ab omnibus partibus aequabiliter premat. Praeter pressum vero nihil impedimento esse solet, quo minus animalia in profundo vivant. Nam quo densior aqua fit, eo maiorem aeris copiam absorbet; lux quidem ad profundissima illa loca pervenire non potest, neque vero est necessaria ad vitam animantium sustentandam.

Postquam igitur vidimus, non quavis terra easdem plantas gigni neque omnia animalia universam inhabitare tellurem, illud nobis quaerendum est, quaenam discrimina inter singulas eorum animalium quae aquatilia appellantur faunas, et quae inter singulas terrestrium faunas intercedant.

Ac primum quidem de aquatilibus dicemus. Quum omnes rivi atque flumina cum lacubus et mari cohaereant, existimaverit quispiam, singulas faunas non esse certis finibus circumscriptas. Non vero recte ita existimat. Contra animalia aquatilia alia sunt marina alia in amnibus stagnisque viventia, et quidem saepe mirum in modum differunt. Quaenam discrimina inter aquatilia intercedant iam inde apparet, quod nonnullas omnium classium species in mari vivere videmus, plures autem classes sunt, quae nullam continent speciem terrestrem. Hac in re; quod ad species marinas attinet, magnum est inter regnum animale et vegetabile discrimen. Vege-

tabilia in mari nascuntur perpauca, si cum universo vegetabilium regno comparantur, et fere omnia sunt ex Algarum ordine: Fuci et Fucis affinia.

Anthozoa, Echinodermata, non nisi in mari vivunt, „vera ut fiat vulgi opinio quidquid nascatur in parte naturae ulla, et in mari inesse, praeterque multa quae nusquam alibi" id quod iam Plinius recte monet. Quaedam vero aquatilium genera et in mari et in aquis dulcibus reperiuntur, ita tamen ut species aliae sint marinae, aliae fluviatiles. Paucissima sunt quae in maribus fluviisque sine ullo discrimine vivunt, ut gasterostei quaedam species. Sed etiam in terra nonnulli inveniuntur ordines, quamquam non classes, qui postquam adulti et perfecti sunt, toti ad terram quidem pertinent, quibus tamen, quam diu crescunt, dulci aqua fluviatili opus est. Quo fit ut animalium fluviatilium familiae et genera saepe multum congruant cum similibus, quae in regione, fluviis illis perfusa, reperiuntur. Multa Arachnoidea, plura etiam Insecta in fluviis degunt, cum fere nulla sint marina animalia harum classium, et multorum volatilium insectorum, praecipue Dipterorum et Neuropterorum, quorum imagines nunquam in aquis reperiuntur, larvas aquatiles esse satis constat.

Ea animalia quae totam vitam in aqua degunt, saepe mirabilem praebent in diversis eiusdem classis ordinibus analogiam, et in habitu similitudinem, quam a vera affinitate accurate distinguere nos oportet, nisi Plinianam divisionem animalium, qua terrestria, aquatilia, volatilia insecta distinguuntur, accipere volumus, quae divisio artificiosa est, sed si divisionem naturalem quaerimus et priscorum errores evitare studemus. Sed nostro tempore, quo ars anatomica tanta cepit incrementa et tot animalia complectitur, non est, quod multos errores, qui quidem geographicam aquatilium distributionem maxime perturbarent, metuamus. Memorabiles praeter alia pedes palmati in vertebratis animalibus sunt, quorum singulae classes similiter sunt formatae; in omnibus his insignem longorum ossium, quae dicuntur, brevitatem videmus et pedum ossa elongata. Si comparamus extremitatum ossa in Cheloniae genere cum iisdem ossibus Phocarum, Ichthyosaurorum, Plesiosaurorum, in omnibus videmus os humeri et ossa antibrachii brevia, magna vero et longa ossa, manum et pedem componentia.

Etiam in animalibus terrestribus, si quorum idem victus est, formarum similitudines animadvertuntur. At vero horum animalium victus maxime diversus est. Nonnulla enim in arboribus vivunt, alia in terra, alia in aere quasi domicilium habent ac volare possunt; haec in humidis, illa in siccis et arenosis locis; alia denique in alienis corporibus vitam degunt. Haec animalia parasitica quae vocantur, etiam in aquatilibus multa inveniuntur.

Iam quaeritur, quaenam summae faunae optime distingui possint, quae potissimum regiones ab eis teneantur. Atque singula animalia regiones, etsi eae fortasse eadem natura sint, diversae amplitudinis incolunt, ita ut alia aream circularem aut ellipticam, alia aream ab oriente ad occidentem aut a septentrione ad meridiem patentem, inhabitent. Aliae denique species plures areas obtinent, quibus loca interiecta sunt ubi non inveniuntur. Deinde magnitudines singularum arearum maxime sunt diversae. Pauca animalia per totum orbem terrarum diffusa sunt; quae quum per homines demum cosmopolitica facta sint, nunc omittimus. Solum ex avibus nonnullae ingentem obtinent aream, praecipue quaedam Grallatorum et Raptorum species, quae per Africam, Europam, Asiam diffusae sunt. Cetera animalia aream circumscriptam inhabitant et plerumque in una solum regione inveniuntur. Optime hoc videmus in insulis quae procul a Continente sitae sunt; deinde in maribus quae cum aliis nonnisi angusto freto cohaerent, et in lacubus mediterraneis.

De animalium distributione dicentes, de *speciebus* cogitavimus; sed quaeritur nonne etiam *generum* ratio habenda sit. Ac quae de speciebus adhuc commemoravimus, fere omnia etiam de generum distributione dici possunt. Uti specierum, ita generum quoque numerus maior est in calidis quam in frigidis regionibus, et ad aequatorem versus increscit. Neque vero eadem *generum* numerus ratione augetur; eius enim generis quod multas habeat species per amplam aream diffusas, plures in calidioribus quam in frigidioribus sunt species. Deinde vero etiam singulae generum areae, ut specierum diversae sunt.

Per totam denique tellurem ullum genus diffusum esse, non minus quam speciem negandum est. Marina autem quaedam genera in omnibus maribus inveniuntur, quamquam *species* eorum in aliis maribus aliae sunt.

6*

Etiam familiarum areas saepe certis finibus cirumscriptas videmus. Classis quidem Mammalium nullae species Edentatorum ordinis in Europa aut in Asia septentrionali; ordinis Marsupialium nullae in Europa, Africa, Asia inveniuntur. Classis Reptilium et Amphibiorum in regionibus polaribus vix habet ullas species.

Casu denique, ut hoc unum addam, fieri potest, ut animalia in loca remotissima transferantur, ita ut species aliqua, quae parvam adhuc aream obtinebat, subito in Fauna prorsus diversa inveniatur. Quod accidit, ut alia omittam, in gastropodis pulmonatis, quorum ova in plantis aquaticis haerentia, per aves aquatiles dummodo transvectionem sustineant, in aliam terrae partem portantur, ubi animalia ex eis proveniunt. Etiam per solam aquam illa Pulmonata, quae nonnisi in terra degunt, viva in loca remota duci possunt, si quidem tempore hiemali asportantur, quo dormire et concham suam operculo plane clausam habere solent.

Quas res omnes respicientes si in geographia zoologica provincias aut regna distinguere volumus, primum marina animalia a terrestribus prorsus nobis secernenda et utraque separatim tractanda sunt. Aream marinarum specierum in universum minus certis finibus circumscriptam esse facile intelligitur. Multae quidem species communes sunt *maribus* Hemisphaerii australis; contra inter faunas Novae Hollandiae, Africae australis, Patagoniae summa intercedunt discrimina. Attamen nonnulla magna regna distinguere possumus, quorum unumquodque et terrae et maris regiones continet. Sed tamen si dividere pergimus, regna in provincias, has in faunas dispertientes, saepe animalia aquatilia et terrestria secernere cogimur.

Duo distinguebantur superiore tempore *regna*, Hemisphaerium occidentale et Hemisphaerium orientale. Quam divisionem falsam esse postea apparuit. Male deinde alii singulis continentibus quinque regna respondere existimabant. A plerisque hominibus doctis sex regna nunc distinguuntur, quorum amplitudines diversissimae sunt: Regnum Palaearcticum, Aethiopicum, Indicum, Australianum, Neoarcticum, Neotropicum. Haec Regna deinde in quadraginta circiter provincias dividuntur, et provinciarum partes Faunas vocamus, quae minimas distinctas areas obtinent.

Multa etiam nunc in geographica animalium distributione investiganda sunt. Nam etsi itineratorum observationibus Faunas singularum terrarum magna ex parte cognovimus, permagna tamen pars rerum a nautis nobis allatarum ubi inventa sit nescimus. Summa igitur utilitate etiam hac de causa itinera illa, quae ad regiones incognitas perscrutandas suscipiuntur, deductio coloniarum quibus cum peregrinis terris coniungimur, peculiares denique faunarum descriptiones, quibus singularum rerum cognitio imprimis necessaria maxime augetur. Summo vero honore ille dignus est, qui singulas res in unum coniungit earum diversitates ad rationem revocans. — Ad van der Hoeven igitur quum revertar, quî possum melius finem facere orationis meae quam verbis illis quae ipse summa erga Deum pietate dicit: Non est perpetua et immutabilis Naturae facies; fluxa et caduca sunt omnia. Immutabilis solus Deus, omnipotens huius universi Auctor et Gubernator sempiternus.

Quae huius diei solemnitas a me postulat, iam toto animo vobis profitebor. Atque primum quidem, Perillustres huius Academiae Curatores, gratias vobis publice agere gratum mihi officium est. Sancte vobis promitto, me quam optime potero studiis pio animo esse incubiturum, ut optimus Rex, cuius favore et voluntate huc vocatus sum, et vos ipsi intelligatis, tantum benevolentiae testimonium haud ingrato tributum esse.

Deinde quaeso, ut vos, Professores praeclarissimi, quorum praestantia vehementer me movet, benigno animo in vestrum ordinem me recipiatis, eruditione longe inferiorem et vobis ad hoc tempus ignotum. Numquam obliviscar, meum esse, fiduciae quam in me posuistis respondere. Disciplina, cui operam do, inflammatus grave munus accedo, et ut sodalis fiam Academia Lugduno-Batava dignus propositum semper semperque sequar.

Quidquid vero aetati meae sive eruditionis sive experientiae deest, hoc Vos, viri eruditissimi, docendo suppleatis. Nisi hanc spem habere mihi licebit fore, ut animum meum erigatis et confirmetis, et ad fiduciam, quam in eo, qui in me est, literarum amore ponitis, benignitatem quoque et indulgentiam addatis; non audeam, summos honores assequi. Utinam mihi liceat, vos adire, ut fruar vestro consilio expertissimo.

Iam vos, Commilitones exoptatissimi, huius Academiae cives ornatissimi, alloquar. Amorem meum vos non desideraturos esse, sancte vobis spondeo et promitto. Ineamus amicitiae foedus, ut coniuncti et uniti campum naturae perscrutandae perlustremus fruamurque voluptatibus illis quae promanant ex hoc fonte, ut ad humanitatem, ad dignum Dei cultum magis magisque informemus. Accipiatis me ducem, comitem, amicum sincerum, aliquantulo diutius in his studiis versatum. Iungat nos idem naturae investigandae ardor, et quantam poterimus Academiae Lugduno-Batavae celebritatem etiam nostris laboribus tueamur.

DIXI.

SERIES LECTIONUM,

IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

HABENDARUM, POST FERIAS AESTIVAS ANNI CIƆIƆCCCLXVIII.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

R. P. A. DOZY Historiam universalem explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... hora XI.

Varios locos historiae aevi medii et historiae recentioris exponet, die Lunae, ... XII et I.

A. RUTGERS Iesaiae *Vaticinia* et *Psalmos* selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis, ... IX,

et die Mercurii, ... VIII.

Linguae Hebraeae grammaticam docebit, diebus Lunae, Martis et Iovis, ... VIII.

Secundum Samuelis *librum* cursoria lectione tractabit, die Lunae, ... I,

et die Iovis, ... IX.

Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.

I. H. STUFFKEN Logicam tradet, die Martis, ... I,

diebus Iovis et Veneris, ... XI.

Metaphysicam docebit, diebus Martis et Mercurii, ... X.

Historiam philosophiae explicabit, diebus Lunae et Iovis, . . XII.

Paedagogicam exponet, diebus et horis auditoribus commodis.

C. G. COBET interpretabitur Demosthenem, Homerum et Sophoclis *Antigonen*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... hora X.

Antiquitates Romanas docebit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.

Cum paulo provectioribus Antiquitatum Romanarum causa leget Tacitum et Suetonium, diebus Iovis et Veneris, . . XII.

Scholas Paedagogicas habebit, diebus Martis et Iovis, . . . II.

Artem metricam tradet, diebus Veneris et Saturni, ... I.

Scriptores Graecos cursoria lectione tractabit, die Martis hora vespertina, ... VIII—X.

Initia Palaeographiae Graecae candidatis Litterarum explicabit, die Saturni, ... IX—XI.

M. DE VRIES Linguam literasque patrias explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... II.

Linguam literasque patrias medii aevi explicabit, diebus Martis et Iovis, ... III.

Linguam literasque patrias saeculi XVII explicabit, die Lunae, III.

De lingua patria pure et eleganter scribenda aget, additis exercitiis practicis, horis postea constituendis.

Carminum medii aevi interpretationem criticam provectiores docebit, die Martis, ... VI—VII.

Linguam Gothicam tradet, die Iovis et Veneris, ... II.

Linguam Anglo-Saxonicam et Veterem Frisicam tradet, diebus et horis auditoribus commodis.

R. FRUIN Historiam Patriae tradet, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, I.

Historiam politicam Belgii foederati exponet, diebus Iovis et Veneris, ... XI.

W. G. PLUYGERS interpretabitur Sallusti *Catilinam* (rec. Jordan) et Ciceronis Or. *pro Sulla* (rec. C. L. Kaiser), diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... IX.

Antiquitates Graecas docebit, die Iovis, ... IX—XI.

Scriptorum Latinorum selectos locos Philologorum iunioribus explicabit, diebus Lunae et Mercurii, ... II.

die Iovis, ... VII—IX.

Veteres membranas Latinas cum provectioribus tractabit, die Martis, ... hora II—IV.

H. KERN Grammaticam sanscritam docebit, die Saturni, ... XI—I.

Carmina Indica selecta cum provectioribus leget, die Lunae hora vespertina, ... VI—VIII.

Zend-Avestam interpretabitur horis auditoribus commodis.

Grammaticam comparatam tradet, diebus Mercurii et Veneris, III.

M. I. DE GOEJE Prof. extraord., literas Arabicas, Chaldaïcas et Syriacas docebit, die Iovis, ... I et II, et die Veneris, ... II.

Chrestomathiam Kosegarteni leget cum provectioribus die Iovis, hora vespertina, ... VI—VIII.

Scriptorum Arabicorum, potissimum iurisconsultorum, locos selectos interpretabitur, diebus Martis et Veneris, ... X—XII.

Lectiones habebit de gentibus Semiticis, Israële excepto, hora auditoribus commoda.

P. I. DE JONG, Interpres Legati Warneriani titulo Professoris ornatus, linguam Persicam et Turcicam docebit eos, qui iis operam vanare velint.

FACULTAS MEDICA.

G. C. B. SURINGAR Therapiam generalem docebit, diebus Martis et Iovis, ... XII.

Pharmacognosin et naturalem remediorum historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... XII.

Praxin medicam ad lectulos aegrotantium moderabitur, diebus singulis, ... X.

F. W. KRIEGER, Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... IX.

Exercitationibus clinicis in Nosocomio academico habendis vacabit quotidie, ... I.

Collegio casuali, quotidie, ... XII.

Doctrinam de morbis oculorum exponet, die Saturni, ... I.

Medicinam forensem, diebus Martis et Iovis, ... I.

A. E. SIMON THOMAS Theoriam artis obstetriciae exponet, diebus Martis, Iovis et Saturni, ... hora IX.

Exercitationibus clinicis, in Nosocomio academico habendis, vacabit diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... IX.

Doctrinam Operationum tradet, et Operationibus obstetriciis, tum in pelvi factitia, tum in cadavere instituendis, praeërit, die Mercurii, ... I.

Gynaecologiae et Gynaecopathologiae selecta tradet, die Lunae, ... II.

Praxin obstetriciam, tum in Nosocomio academico, tum in Policlinico obstetricio, quoties necesse erit, moderabitur.

I. G. C. EVERS Therapeuticum remediorum usum indicabit, diebus Mercurii et Veneris, ... VIII.

Doctrinam morborum singularium tradet, diebus Lunae, Martis et Iovis, ... VIII.

Exercitationibus clinicis, in Nosocomio habendis praeërit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... XI.

Collegio casuali, die Saturni, ... X—XII.

Praxin medicam in policlinico moderabitur.

A. HEYNSIUS Physiologiam generalem et specialem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... X.

Exercitiis practicis, experimentis et indagationibus physiologicis in laboratorio quotidie praeërit.

Exercitiis practicis in microscopii usu praeërit horis auditoribus commodis.

I. A. BOOGAARD Prof. extraord., Anatomiam pathologicam docebit, die Iovis, ... II—IV.

Pathologiam generalem docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... XI.

T. ZAAIJER Prof. extraord., Anatomiam systematicam, microscopicam et topographicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... IX.

Methodum secandi cadavera, quotidie hiberno tempore.

Operationes chirurgicas demonstrabunt F. W. KRIEGER et T. ZAAIJER, horis deinde indicandis.

FACULTAS IURIDICA.

I. DE WAL Encyclopaediam et Methodologiam Iurisprudentiae exponet, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... hora X.
Ius Criminale tradet, diebus Iovis, Veneris et Saturni, . . . IX.
Legem Iudiciorum Criminalium interpretabitur, iisdem diebus, ... X.

S. VISSERING Statisticam Patriae explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Historiam Europae diplomaticam, iisdem diebus, ... I.
Oeconomiam politicam, die Iovis, ... XI et I,
et die Veneris, ... XI.

R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE Ius Civile hodiernum interpretabitur, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII,
et die Veneris, ... I.
Legem Iudiciorum privatorum, additis exercitationibus forensibus, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... X.
Ius Mercatorium, iisdem diebus, ... IX.

I. E. GOUDSMIT interpretabitur Iustiniani *Institutiones*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... I,
et diebus Iovis, Veneris et Saturni, ... IX.
Tractabit partem generalem Pandectarum secundum systema a se editum, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, ... II.
Historiam Iuris Romani enarrabit, diebus Iovis, Veneris et Saturni, ... X.
Disputandi exercitia moderabitur, diebus et horis auditoribus commodis.

I. T. BUIJS tradet ius gentium, diebus Lunae, Martis et Mercurii, XI.
Philosophiam iuris, iisdem diebus, ... XII.

Interpretabitur Legem Muncipalem, diebus Iovis et Veneris, hora XII,
et die Saturni, ... XI.
Cum provectioribus tradet ius publicum die Iovis . . . . . . I.
et die Veneris, ... XI.

FACULTAS THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, provectae aetatis causâ rude donatus, quantum per vires licebit, Academiae alumnis prodesse conabitur.

I. H. SCHOLTEN Theologiae dogmaticae partem priorem exponet, duce Compendio a se edito, die Lunae, ... I,
die Martis, ... XI,
die Iovis, ... X—XII,
et die Veneris, ... X.
Theologiam naturalem docebit, enarrandis philosophiae de Deo recentioris placitis, duce Compendio a se edito, diebus Martis, Iovis et Veneris, ... I.

A. KUENEN Criticam et Hermeneuticam librorum N. Foederis exponet, secundum Compendium a se editum, die Mercurii, ... XI,
et die Iovis, ... XII.
Historiam religionis Israëliticae enarrabit, die Lunae, ... X,
die Mercurii, ... I.
et die Veneris, ... XI.
Locos N. Foederis difficiliores, qui doctrinam moralem spectant, interpretabitur, die Veneris, ... XII.

I. I. PRINS Paulinas ad Ephesios, ad Colossenses et ad Philemonem epistolas interpretaturus est, die Mercurii, Iovis et Veneris, ... IX.
Theologiae Practicae partem catecheticam, homileticam et liturgicam tractabit, diebus Martis et Mercurii, ... X.
Exercitationes catecheticas et homileticas moderabitur, die Lunae, ... XI et II.

De rebus exegetici potissimum et practici argumenti cum provectioribus aget, hora vespertina postea indicanda.

L. G. E. RAUWENHOFF Locos selectos historiae Ecclesiae Christianae recentioris tractabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... hora XII.

Historiam doctrinae Christianae tradet, diebus Martis et Mercurii, ... II.

De variis argumentis, ad historicam theologiae partem pertinentibus, aget hora vespertina postea indicanda.

Orationibus Sacris praeërunt I. H. SCHOLTEN, A. KUENEN, I. I. PRINS et L. G. E. RAUWENHOFF, diebus et horis sibi et Candidatis Theologiae commodis; — publice disputandi exercitationibus, die Veneris, ... II.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... IX.

Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit, iisdem diebus, XI.

Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... XII.

Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Iovis, ... XII.

Chymiam theoreticam exponet, diebus Iovis et Veneris, . . I.

Experimenta instituendi artem docebit et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.

Cum Studiosis provectioribus de Physiologia chymica colloquetur, die Veneris, hora vespertina, ... V—VIII.

F. KAISER Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... IX.

Astronomiam practicam, iisdem diebus, ... X.

Theoriam motus corporum coelestium tradet, diebus et horis auditoribus commodis.

Artis observandí exercitiis quotidie praeërit.

Astronomiam, quam popularem vocant, tradet diebus et horis auditoribus commodis.

P. L. RIJKE Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... hora XII.

De Physices capitibus selectis latius et fusius disseret, diebus Lunae et Mercurii, ... X.

Physicam Mathematicam tradet, diebus Martis et Iovis, . . II.

Meteorologiam exponet, die Iovis, ... X.

Exercitiis physicis practicis praeërit, quotidie.

W. F. R. SURINGAR Morphologiam, anatomiam et physiologiam plantarum exponet, diebus Martis, Mercurii et Iovis, ... I.

Phytographiam et taxonomiam docebit, selectasque plantarum familias explicabit, diebus Lunae et Veneris, ... I et II.

Cum studiosis provectioribus rei herbariae capita selecta fusius tractare paratus est, hora commoda.

Exercita practica in structura plantarum ope microscopii exploranda moderabitur, diebus Martis et Iovis, ... II—IV.

Excursionibus botanicis praeërit tempore aestivo, die Saturni.

D. BIERENS DE HAAN. Trigonometriam planam aliaque argumenta ex geometria plana tractabit, die Iovis, ... X,
die Veneris, ... IX et X.

Algebrae superioris capita quaedam et analysin algebraicam, die Mercurii, ... II,
diebus Iovis et Saturni, ... IX.

Calculum differentialem, diebus Martis et Iovis, ... I.

Calculi integralis partem primam, die Martis, ... II,
diebus Iovis et Veneris, ... XI.

Calculi integralis superioris capita selecta, die Mercurii, . . . I,
et die Saturni, ... XI.

P. VAN GEER Prof. extraord. Stereometriam et Trigonometriam sphaericam docebit, diebus Martis et Mercurii, ... VIII.

Algebram sive Arithmeticam universalem, die Saturni, . . . X.

Elementa geometriae analyticae et descriptivae, diebus Veneris et Saturni, ... XI.

Analysin geometricam superiorem, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... hora IX.
Mechanicam analyticam, die Mercurii, ... X,
diebus Iovis et Veneris, ... IX.
Scholas paedagogicas habebit.

Lectiones de Zoologia et Geologia c. c. a. postea indicabuntur.

C. A. X. G. F. SICHERER Literarum Germanicarum Lector, selecta principum Poëtarum germanicorum carmina interpretari paratus est, simul id acturus, ut his ipsis exemplis varia Poëseos genera explicet auditoribus.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

DIE XXXI M. DECEMBRIS A. CIƆIƆCCCLXVIII.

In Facultate		Phil. Theor. et Litt. Hum. .	63.
〃	〃	Medica	97.
〃	〃	Iuridica	306.
〃	〃	Theologica	51.
〃	〃	Disc. Math. et Phys.	58.
			575.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum, in Athenaeis studiis vacantium, relata sunt, eo consilio, ut hic examina subeant et Doctoratum nanciscantur:

In Facultate		Phil. Theor. et Litt. Hum. .	21.
〃	〃	Medica	15.
〃	〃	Iuridica . . . . :	31.
〃	〃	Theologica	17.
〃	〃	Disc. Math. et Phys.	6.
			90.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

A DIE VIII FEBRUARII CIↃIↃCCCLXVIII AD DIEM IX FEBRUARII CIↃIↃCCCLXIX.

IN FACULTATE MEDICA.

D. 12 Martii. ADRIANUS IOANNES MÜNNICH, Briellensis, publice defenso specimine, c. t.: *Onderzoekingen over de bloedkleurstof*, Med. Doctor, *magna cum laude.*

D. 14 Martii. IOANNES TOBIAS MEINERZ, e pago Ootmarsum, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

D. 19 Martii. DIDERICUS DE LOOS, Roterodamensis, Math. Mag. Phil. Nat. Doctor, privatim defensis thesibus, Pharmaciae Doctor, *magna cum laude.*

D. 27 Martii. PETRUS IACOBUS BARNOUW, Med. Doctor, e pago Maasland, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

D. 3 Aprilis. HENRICUS FRANCISCUS ANTONIUS CRILLAERTS, Med. Doctor, Roterodamensis, privatim defensis thesibus, Obstetriciae Doctor, *magna cum laude.*

D. 4 Aprilis. ADRIANUS IOANNES MÜNNICH, Briellensis, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

D. 24 Aprilis. IOANNES IACOBUS LANGELAAN, e pago Heemstede, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

D. 4 Maii. IOANNES EGENS VAN ITERSON I. A. fil., e pago Waspik, Med. et Obst. Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *magna cum laude.*

D. 11 Maii. GUILIELMUS FREDERICUS BÜCHNER, e pago Katwijk a/d Rijn, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

Eodem die. ADRIANUS IOANNES MÜNNICH, Briellensis, Med. et Art. Obst. Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

D. 29 Maii. SEBASTIANUS VAN DER HORST, e pago Nieuwveen, privatim defenso specimine, c. t.: *Over de eiwitachtige stoffen van het bloed,* Med. Doctor, *magna cum laude.*

D. 8 Iunii. IOANNES LEONARDUS GOEMANS, ex urbe Zierikzee, Med. Doct., privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

D. 12 Iunii. BARTHOLOMAEUS IACOBUS WINKELMAN, ex urbe Vlissingen, Med. et Obst. Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *magna cum laude.*

D. 27 Iunii. IACOBUS REINHARTUS HENRICUS VAN SON, Haganus, publice defenso specimine, c. t.: *Over Beri-beri,* Med. Doctor.

D. 3 Iulii. IOANNES LEONARDUS GOEMANS, Zierikzeeanus, Med. et Chir. Doctor, privatim defensis thesibus, Obstetriciae Doctor.

Eodem die. CAROLUS LUDOVICUS GEORGIUS BECHT, Haganus, Med. et Art. Obst. Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

Eodem die. CORNELIS GUILIELMUS HENDRICUS VAN KAATHOVEN, Ii filius, Lugduno-Batavus, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Artis Obstetriciae Doctor.

D. 4 Iulii. ARNOLDUS VAN RIJN, e pago Katwijk, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

D. 15 Sept. IACOBUS BARENDRECHT, Dordracinus, publice defenso specimine, c. t.: *Mededeelingen uit de ophthalmologische Polykliniek te Amsterdam, gedurende de jaren* 1865, 1866 *en* 1867, Med. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. IOANNES GEORGIUS METZGER, Amstelodamensis, publice defenso specimine, c. t.: *De behandeling van distorsio pedis met fricties,* Med. Doctor, *cum laude.*

D. 8 Oct. IOANNES CASPARUS GUILIELMUS FISCHER, e pago Heerenveen, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Artis Obstetriciae Doctor.

D. 24 Oct. SIEBREN SJOERD VAN DER LEY, e pago Langweer, Med. et Obstetriciae Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

D. 5 Nov. IOANNES HENDRICUS VAN DIJK, e pago Uden, privatim defenso specimine, c. t.: *Over Hydrocele*, Med. Doctor, *cum laude.*

D 11 Nov. FREDERICUS IOANNES VAN LEENT, ex urbe Gouda, publice defenso specimine, c. t.: *Geneeskundig topographische opmerkingen betreffende Batavia, hare reede en het eiland Onrust*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 25 Ian. IOANNES ALPHONSIUS MARIA BEGUIN, Eindhovensis, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

D. 1 Febr. IACOBUS REINHARDUS HENDRICUS VAN SON, Haganus, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

D. 4 Febr. IOANNES HENDRICUS VAN DIJK, e pago Uden, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Artis Obstetriciae Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE IURIDICA.

D. 15 Febr. GUILIELMUS ANTONIUS DOLLEMAN, e pago Heemstede, privatim defenso specimine, c. t.: *Eenige vragen betreffende de uitvoerders van uiterste wilsbeschikkingen*, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 28 Febr. IOANNES PETRUS HELENUS LA GRAPPE DOMINICUS, Haganus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 11 Martii. CAROLUS GUILIELMUS IUSTUS IACOBUS PAPE, Silva-ducensis, privatim defenso specimine, c. t.: *Bijdrage tot de leer der zeeverzekering van vloeibare waren*, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 18 Martii. FREDERICUS MARIA CORNELIS VAN DEINSE, ex oppido Hulst, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 21 Martii. EVERHARDUS OOSTING, Assena-Drenthinus, privatim defenso specimine, c. t.: *Het eenkindschap. Proeve van verklaring van het Drentsche landrecht*, I. U. Doctor, *magna cum laude.*

D. 25 Aprilis. TJOMME YUTE KINGMA BOLTJES, e pago Jorwerd, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 4 Maii. SIEGERBERTUS ABRAHAMUS D'ENGELBRONNER, Haganus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 8 Maii. HENDRICUS VAN HOGENDORP, Haganus publice defenso specimine, c. t.: *De ontbinding der volksvertegenwoordiging in de constitutioneele monarchie*, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 19 Maii. ADRIANUS PETRUS DE LANGE, Alkmariensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 28 Maii. LAMBERTUS IULIUS VAN GELEIN VITRINGA, Arenacensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. ANDRAEAS IOANNES KRONENBERG, Arenacensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 29 Maii. GERARDUS IACOBUS THEODORUS BEELAERTS VAN BLOKLAND, Roterodamensis, publice defenso specimine, c. t.: *De onschendbaarheid der wet*, I. U. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. HENDRICUS HERMANUS VAN CAPELLE, Amstelodamensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *magna cum laude.*

D. 9 Iunii. HENDRICUS WIERSMA, Huizuma-Frisius, publice defenso specimine, c. t.: *Over de natuur van den tijdkoop van openbare fondsen*, I. U. Doctor, *magna cum laude.*

D. 11 Iunii. CONRADUS GUILIELMUS ANTONIUS VAN HAERSOLTE, Zwollanus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 20 Iunii. ROBERTUS VORSTMAN, Roterodamensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 22 Iunii. PETRUS ANTONIUS RAMAER, Zutphanus, privatim defenso specimine, c. t.: *De verhouding der volksvertegenwoordiging tot hunne committenten in de constitutioneele Monarchie*, I. U. Doctor, *magna cum laude.*

D. 27 Iunii. IULIUS MATTHIAS VAN BEYMA THOE KINGMA, e pago Heerenveen, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 30 Sept. LUDOVICUS GUILIELMUS VERWER, Makkuma-Frisius, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 5 Oct. IENS DANIEL RASCH, Indo-Batavus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 6 Oct. DIDERICUS DE IONGH TOT ZUID-POLSBROEK, ex urbe Tiel, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 15 Oct. HENDRICUS GERHARDUS KRONENBERG, ex oppido Vollenhoven, privatim defenso specimine, c. t.: *De procuratio ad litem en de ontkentenis van gerechtelijke verrichtingen naar aanleiding van het ontwerp van een wetboek van burgerlijke rechtsvordering*, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 21 Oct. GUALTHERUS SIMON IOSEPHUS VAN WATERSCHOOT VAN DER GRACHT, e pago Beverwijk, privatim defenso specimine, c. t.: *Over den aard en het wezen der erfdienstbaarheden*, I. U. Doctor, *magna cum laude*.

D. 26 Oct. CHRISTOPHORUS RASCH, Samarangensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude*.

Eodem die. ADRIANUS LUDOVICUS CLIGNETT, Samarangensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 7 Nov. AUGUSTUS EDUARDUS DRONKERS, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

Eodem die. ANDRAEAS IOANNES HAARSELHORST, e pago Obdam, privatim defenso specimine, c. t.: *Iets over het benefice van inventaris of voorrecht van boedelbeschrijviug*, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 19 Nov. RUDOLPHUS IOANNES WOLFGANG FRANCISCUS VAN HOËVELL NYENHUIS, Haganus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 20 Nov. LUDOVICUS GUILIELMUS CHRISTIANUS VAN DEN BERG, Harlemensis, publice defenso specimine: *de contractu: "do ut des," iure Mohammedano*, I. U. Doctor, *magna cum laude*.

D. 4 Dec. ALEXANDER IOANNES VAN RANDWIJCK, Assena-Drenthinus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 8 Dec. LUDOVICUS IOSEPHUS ERNESTUS HUBERTUS GERADTS, Hasseltanus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 11 Dec. PETRUS IUSTUS SWAVING, e pago Brummen, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

Eodem die. IOANNES ALBERTUS VAN GILSE, Amstelodamensis, publice defenso specimine, c. t.: *Iets over de uitvoerbaarheid van vonnissen bij voorraad*, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 16 Dec. SYBRANDUS IOANNES FOCKEMA ANDREAE, e pago Beesterzwaag, publice defenso specimine, c. t.: *Beschouwingen over burenrecht*, I. U. Doctor, *magna cum laude*.

D. 19 Dec. WYNANDUS HEINEKEN, Amstelodamensis, publice defenso specimine, c. t.: *De staat en het kerkbestuur der Nederlandsche Hervormden sedert het herstel onzer onafhankelijkheid*, I. U. Doctor, *magna cum laude*.

D. 4 Febr. DANIEL VAN OOSTEN SLINGELAND, Schoonhovensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

Eodem die. GABRIEL LEONARDUS VAN OOSTEN SLINGELAND, Schoonhovensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. 29 Iunii. GUILIELMUS HENDRICUS KOSTER, ex urbe Enschede, privatim defenso specimine, c. t.: *De historiebeschouwing van den deuteronomist*, Theologiae Doctor, *magna cum laude*.

D. 4 Iulii. BRUNO TIDEMAN, IOS[I] filius, Roterodamensis, privatim defenso specimine, c. t.: *Het essenisme*, Theologiae Doctor, *magna cum laude*.

D. 28 Sept. PETRUS CAROLUS VINCENT, a Promontorio Bonae Spei, privatim defenso specimine, c. t.: *De Parabel van den Farizeër en den Tollenaar*, Theologiae Doctor, *cum laude*.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

D. 29 Aprilis. GERARDUS ARNOLDUS OSKAMP, Roterodamensis, publice defenso specimine, c. t.: *Over de Polairen der cycloide*, in parte Mathematica, Astronomica et Physica Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *magna cum laude*.

D. 12 Dec. IOANNES SIRKS, Roterodamensis, privatim defenso specimine, c. t.: *Over het meten van den galvanischen geleidingsweerstand*, in parte Physica, Astronomica et Mathematica Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *magna cum laude.*

D. 18 Dec. ANDRAEAS VAN HENNEKELER, e pago Nijkerk, privatim defenso specimine, c. t.: *Bepaling van de poolshoogte van de Sterrewacht te Leiden*, in parte Astronomica, Mathematica et Physica Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *magna cum laude.*

INDEX SCRIPTORUM

QUAE EDIDIT

PETRUS OTTO VAN DER CHIJS [1]).

I. Scripta seorsum edita.

Responsio ad quaestionem in Acad. Gandavensi propositam de M. Tullii Ciceronis aequo vel iniquo de Graecis iudicio. Gandavi, 1826. 4⁰.

Responsio de pecore etiam in aestate semper in stabulis retinendo, in certamine literario civium Academiarum Belgicarum, d. VIII. m. Febr. 1826 praemio ornata. Lugd. Bat. 1827. 4⁰.

(utraque in *Annalibus Acad. Gandav.* et *L. B.*)

Redevoering van C. J. C. Reuvens, over het verband der Archaeologie met de hedendaagsche kunsten, enz. uit het Latijn vertaald. Amsterd. 1827. 8⁰.

Commentarius geographicus in Arrianum de expeditione Alexandri, cum tabula aeri incisa. Lugd. Bat. ap. I. C. Cijfveer, 1828. 4⁰.

Tabula geographica imperii Alexandri Magni. Lugd. Bat. 1828. 4⁰.

Verhandeling over het nut der beoefening van de algemeene, d. i. oude, middeleeuwsche en hedendaagsche Munt- en Penningkunde. Leiden, J. C. Cijfveer, 1829. 8⁰.

De Engelsche armen en de Nederlandsche Maatschappij van Weldadigheid. Amst. 1830. 8⁰.

Academisch Tijdschrift voor het Koningrijk der Nederlanden. Leiden, S. en J. Luchtmans, 1830. Eerste Jaarg. in 2 St. 8⁰. (editum sine auctoris nomine.)

Tijdschrift voor algemeene Munt- en Penningkunde, uitgegeven door P. O. van der Chijs, Leiden, J. C. Cijfveer, later S. en J. Luchtmans, 1833—1843. 1e Dl. en 2e Dl. 1e tot 3e Stuk. 8⁰.

---

[1]) Supplementum ad Annales Acad. L. B. anni 1867—1868.

Bescheidene aanmerkingen op het Ontwerp van wet tot regeling van het Nederl. Muntwezen, ingediend bij de Tweede Kamer der St.-Gen., 25 Maart 1847. Leiden, P. H. v. d. Heuvell, 1847. gr. 8°.

Het Munt- en Penningkabinet der Leidsche Hoogeschool in 1867. Leiden, D. J. Couvée, 1867. 8°. (editum post mortem auctoris.)

II. In scriptis societatis Teylerianae alterius Vol. XXVI. (Harlemi 1851—1866.)

De Munten der voormalige hertogdommen Braband en Limburg, van de vroegste tijden, enz. met 36 pl. 1851.

De Munten der voormalige Graven en Hertogen van Gelderland, van de vroegste tijden, enz. met 30 pl. 1852.

De Munten der voormalige Heeren en Steden van Gelderland; met 23 pl. 1853.

De Munten der voormalige Heeren en Steden van Overijssel, van de vroegste tijden, met 21 pl. 1854.

De Munten van Friesland, Groningen en Drenthe, (der Heeren van Koevorden), enz. met 22 pl. 1856.

De Munten der voormalige Graafschappen Holland en Zeeland, alsmede der Heerlijkheden Vianen, Asperen en Heukelom. met 44 pl. 1858.

De Munten der Bisschoppen van de Heerlijkheid en de Stad Utrecht; met 31 pl. 1859.

De Munten der leenen van de voormalige Hertogdommen Braband en Limburg; met 33 pl. 1862.

De Munten der Frankische en Duitsche Nederlandsche Vorsten; met 23 pl. en eene kaart. 1866.

III. In libellis variis plerisque periodicis, quibus tituli:

Tijdschrift voor algemeene Munt- en Penningkunde.

Verhandeling over het karakter der Nederlanders, bijzonder gedurende den tachtigjarigen oorlog, blijkbaar uit hunne Gedenkpenningen. Dl. I. 21—62.

Begrafenispenning van eenen in het jaar 1672 voor het Vaderland gesneuvelden student. Dl. I. 74—76.

Berigt nopens de in 's Rijks munt te Utrecht vervaardigde en algemeen verkrijgbaar gestelde Nederlandsche Gedenkpenningen. Dl. I. 63—74.

Kleine bijdrage over den in 1672 voor het Vaderland gesneuvelden Leidschen student

Revue de la Numismatique Belge.

Bijdragen tot Boeken- en menschenkennis, auctoribus P. S. Schull et A. van der Hoop, Jre.

Bijdragen voor Vaderlandsche Geschiedenis en Oudheidkunde, collegit IS. AN. NIJHOFF.

Drenthsche Volksalmanak.

Drenthsche munt: de geldstukken der kasteleins van Coeverden en drosten van Drenthe. Jaarg. 1850, bl. 33.

Algemeene Konst- en Letterbode.

Iets over het Joodsche leger onder Filips den Schoone. Jaarg. 1842. II. Dl. bl. 274.
Iets over T. E. Mionnet. Jaarg. 1842. II Dl. bl. 418, 434, 450.
De oorsprong der Munt- en Penningkabinetten. Jaarg. 1844, n°. 20.
Beoordeeling van: Drenthe in losse en vlugtige omtrekken geschetst, door drie Podagristen. Jaarg. 1845, n°. 7 en 8; en 1846, n°. 6.
Aankondiging van den Drenthschen Volksalmanak, 9e, 10e, 11e, 12e, 13e, 14e en 15e jaar. Jaarg. 1846, n°. 6; 1847, n°. 6, 1848, n°. 3; 1849, n°. 13 en 14; 1850, n°. 6; 1851, n°. 5.
Aankondiging van J. A. Nijhoff's Gedenkw. uit de Gesch. van Gelderland. 4e en 5e Dl. Jaarg. 1848, n°. 5 en 1852, n°. 13.
Aankondiging van de Kunstverzameling van den Heer G. Lamberts. Jaarg. 1845, n°. 49.
Verslag nopens het Congrès des Délégués des Sociétés savantes des départements, etc. 2e Session, gehouden te Parijs, van 20 Februarij tot 1 Maart 1851, Jaarg. 1851, n°. 36—44.
Aanwinsten van het Munt- en Penningkabinet der Leidsche Hoogeschool, gedurende het eerste halfjaar van het Rectoraat des Hoogl. J. H. Scholten, 8 Febr. tot 8 Aug. 1846. voorts van 8 Aug. 1846 tot 8 Aug. 1849, en van 8 Febr. 1850 tot 8 Febr. 1853. Jaarg. 1846, n°. 34, 36 en 37; en Jaarg. 1847—1854. (Sequebantur post: Incrementa Musei Nummarii, a. 1835—36, 1836—37, 1842—45. in Annal. Acad. L. B.)
Haarlemmermeer. (Mededeeling over daarin bij de uitdrooging gevondene oude Romeinsche en andere Munten.) Jaarg. 1852, n°. 47.
Munten van Hendrik van Brederode. Jaarg. 1855, n°. 48 en 1856, n°. 6.
Koninklijke Akademie van Wetenschappen van Lissabon. Jaarg. 1861, n°. 19.

Recensent ook der Recensenten.

Iets over het karakter van Elektra in Sophokles treurspel van dien naam. Jaarg. 1827, Dl. XX, St. 2, bl. 279—290.

Handelingen van de Maatschappij der Nederlandsche Letterkunde te Leiden.

Levensbericht van S. H. van der Noorda. Hand. 1851, bl. 55.
〃 〃 Ds. A. Doijer. Hand. 1854, bl. 3.
〃 〃 G. van Orden. Hand. 1854, bl. 25.
〃 〃 Dr. P. W. B. de Wilde. Hand. 1856, bl. 69.
〃 〃 L. J. E. Keuller. Bijlage, Hand. 1864, bl. 160.

Libellus: Vriend des Vaderlands, 1827—1842, ab ipso van der Chijs editus cum aliorum tum editoris scriptiunculas continet; quae tamen, deficientibus auctorum subscriptionibus, seorsum indicari nequeunt.

INDEX SCRIPTORUM

QUAE EDIDIT

IACOBUS GYSBERTUS SAMUEL VAN BREDA.

Fallversuche und complementare Farben. Gilb. Ann. 1816. LIV. p. 321.

Oratio: de educatione vere liberali et historiae naturalis studio, inprimis ad illam conducente, habita Franequerae 16 d. m. Oct. 1816, cum ordinariam botanices, chemiae, pharmaceutices etc. professionem in athenaeo frisiaco solenni ritu auspicaretur. Leovardiae 1818.

Over het roode regenwater te Scheveningen gevallen. Alg. Konst- en Letterbode, 1820.

Oratio: de florae mundi primigenii reliquiis in lithranthracum fodinis praesertim conservatis, habita Gandae, d. 16 m. Maii 1822, cum in Acad. Gandavensi ordinariam botanices, historiae naturalis et anatomiae comparatae professionem auspicaretur. Gandavi 1823.

Uittreksel uit een verslag aan Z. E. den Minister van het openb. onderwijs, de nat. nijverheid en de Koloniën, wegens de openbare Tentoonstelling van voortbrengselen van Volksvlijt te Parijs, in den jare 1823.

Over de ontvlamming van het waterstofgas in aanraking gebragt met platina-spons. Alg. Konst- en Letterbode, 1823 en 1824.

Levensschets van Adriaan Gilles Camper, Gent 1825.

Genera et species Orchidearum et Asclepiadearum, quas in itinere per insulam Iavam iussis et auspiciis Gulielmi I colligerunt Dr. G. Kuhl et Dr. I. C. van Hasselt. Editionem et descriptionem curavit I. G. S. van Breda. Vol. I. fasc. 1—3. Gandavi 1827.

Eenige bijzonderheden omtrent den Walvisch, die den 5den November 1827 bij Ostende gestrand is. Alg. Konst- en Letterbode, 1827. II Dl. n°. 48.

Verhandeling over het voorkomen van den Dolomiet nabij Durbuy in het Ardennengebergte en over de waarschijnlijke zamenstelling van hetzelve gebergte. N. Verh. 1ste kl. Koninkl. Ned. Instituut, IIde Deel.

Aanteekening over eene nieuwe soort van Dolfijn (Delphinus Bredanensis) met 2 pl. in Nieuwe Verh. v. h. Kon. Ned. Instituut v. Wet. en Kunsten, 1ste klasse, Deel II, p. 235—238, 1829.

Ueber die Zähne in der Kreide-Formation von Maestricht, Ann. d. sc. nat. 1829.

V. Breda et v. Hees, Notice sur les dents de ruminants, de Pachydermes et de carnassiers trouvés dans la formation crayenne de la Montagne St. Pierre de Maestricht. Ann. d. sc. nat. Tom. XVII. p. 446—454.

Notices sur les ossemens de mammifères trouvés près de Maestricht, 1829.

J. F. L. Hausmann, Over de gerolde steenen van Nederland en Noord-Duitschland. Met bijvoeging van eenige aaumerkingen, vertaald door J. G. S. van Breda. Verhandeling uitgegeven door de Holl. Maatsch. v. Wet. te Haarlem. Dl. XIX. 1831.

Tertiaire formatie in de provincie Gelderland (zitting d. 1ste klasse v. 't Kon. Ned. Inst.), Konst- en Letterbode, 1834. p. 117.

Sur le terrain tertiaire de la Gueldre. Bulletin géologique de France, 1834.

Bedenkingen omtrent hetgeen uit de bij de putboring te Zeist opgebragte gronden aangaande den geologischen aard van den bodem aldaar kan afgeleid worden (Verg. 1ste klasse v. Kon. Ned. Inst. v. W. en K. 24 Jan. 1835). Alg. Konst- en Letterbode, 1835, nº. 10 en 11.

Teekening der zonsgedaante in de schaduw van boomen, waargenomen gedurende de zonsverduistering den 15 Mei 1836. Konst- en Letterbode, 1836.

Aanmerkingen op eene verhandeling over de putboring op de heide tusschen Woudenberg en Zeist, door G. Moll. (Vergad. 1ste klasse v. Kon. Ned. Instituut). Konst- en Letterbode, 1836. nº. 18.

Redevoering: over den toestand van Nederland in die oude tijdperken, tot welker overblijfselen men bij de verschillende artesische putboringen hier te lande is doorgedrongen, in de 11de openbare Vergad. der 1ste klasse van het Kon. Ned. Instituut op 23 Dec. 1837.

Notice sur l'Aptychus. Bulletin de la Soc. géolog. de France, Tom. 12. p. 376—391, 1841.

Expériences relatives à l'échauffement d'un conducteur métallique qui unit les deux pôles d'une pile. Comptes Rendus XXI. 1845.

Sur les phénomènés lumineux de la pile. Comptes Rendus XXVIII. 1849. Poggendorf. Ann. LXX. 1847.

Verslag over eenen in de provincie Noord-Holland onlangs gevonden fulguriet. Tijdschrift der 1ste klasse v. h. Kon. Ned. Instituut. V. bl. 86.

Eenige waarnemingen over de zoogenaamde nabeelden. Versl. en Meded. d. Kon. Acad. v. Wet. afd. Natuurk. Dl. V. p. 342.

Aanmerkingen op het naschrift van den Heer R. van Rees, ten titel voerende: „antwoord aan den Heer van Breda." Versl. en Meded. IX. bl. 307.

Bijdrage omtrent de zoogenaamde beitels van Amiens-Abbeville, in verband beschouwd met het voorkomen van tanden van paarden, zwijnen, herkaauwende en andere dieren in de krijtbeddingen van den St. Pietersberg bij Maestricht. Versl. en Meded. der Kon. Acad. v. Wet. Afd. Natuurk. XI. bl. 202.

ACADEMIA

RHENO-TRAIECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXVIII AD D. XIX M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXIX.

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

IOHANNES IACOBUS VAN OOSTERZEE,

SENATUS ACTUARIUS

GUILIELMUS KOSTER.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

B. TER HAAR.
I. I. DOEDES.
I. I. VAN OOSTERZEE.

IN FACULTATE IURIDICA.

G. G. VREEDE.
B. I. LINTELO DE GEER.
I. A. FRUIN.
H. P. G. QUACK, (munus auspicatus est d. 23 m. Octobris a. 1868).

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

R. VAN REES, (rude donatus).
P. HARTING.
C. H. D. BUYS BALLOT.
M. HOEK.
F. A. G. MIQUEL.
C. H. C. GRINWIS.
P. I. VAN KERCKHOFF, (munus auspicatur die 4 m. Decembris a. 1868).
E. MULDER, (munus prof. extraord. auspicatur die 4 eiusdem mensis).

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

C. G. OPZOOMER.
I. A. C. ROVERS
C. G. BRILL.
H. VAN HERWERDEN.
P. DE JONG, (qui munus iniit d. 12 m. Februarii a. 1869).

IN FACULTATE MEDICA.

G. I. LONCQ.
F. C. DONDERS.
L. C. VAN GOUDOEVER.
G. KOSTER.
T. HALBERTSMA.

MEDICINAE LECTOR.

P. Q. BRONDGEEST.

LITERARUM RECENTIORUM LECTORES.

I. H. HISGEN, litt. Germanicarum.
I. S. ROBINSON, litt. Anglicarum.
M. A. E. ROBERTI, litt. Francicarum.

DOCTOR ACADEMICUS IN LABORATORIO PHYSIOLOGICO.

TH. G. ENGELMANN.

ORATIO

DE

RELIGIONE CHRISTIANA, OPTIMA VERAE HUMANITATIS MAGISTRA,

QUAM HABUIT

IOHANNES IACOBUS VAN OOSTERZEE,
THEOL. DOCT. ET PROF. ORDIN.

D. XIX M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXIX,

IN AUDITORIO ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE,

QUUM RECTORIS MUNUS PONERET.

ACCEDIT ACADEMIAE FATORUM ENARRATIO.

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES, PROFESSORES, LECTORES, CIVES!
CUIUSCUMQUE ORDINIS ET LOCI AUDITORES SPECTATISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Pax Optima Rerum. Ita ante hos ducentos et quod excurrit annos muro sinistro conclavis inscriptum erat, ubi tandem, post cruentissimum bellum, componebatur gloriosissima Westphalica pax. Et etiamsi ibi nunquam inscriptum fuisset, quis scepticus inter nos tantopere Scepticismo addictus, ut et de ipsius pacis pretio vix aestimando serio dubitet? A teneris inde — memini enim — quibus in Gymnasii scamnis, seniores saltem, sententiam repetebamus: "nulla salus bello, pacem te poscimus omnes," ad hunc usque diem, semper magis persuasi sumus pacem, iure scilicet et veritate fundatam, revera esse "optimam rerum." Quo magis dolendum, hanc rerum optimam in dies rariorem, quin ita rarissimam fieri, ut fere, antiquae Astreae ad instar, miseram hanc terram deseruisse videatur, magnum sui desiderium apud optimos quosque relinquens. Pacem enim armatam, q. d. quâ his nostris diebus Europa dicamne gaudet an gemit, quovis alio nomine melius quam quietae pacis ornandam esse, vix aliquem fugit. Sed etiam, si oculos ad campum convertimus, qui nos, sive spectatores, sive duces militesque coniunxit, aurea illa Pax tam diu iam abest, ut eius beneficia ad periodum ante-diluvianam mox retuleritis, et *εἰρηνικώτατοι* etiam quotidie illud: "si vis pacem, para bellum" sibi audire videantur. Quod praesertim de nobis Theologis valet, quorum vita publica et privata nullo quidem tempore maiore iure cum militiâ comparari potuit, quam his ipsis nostris diebus. Ne putetis, Auditores, me de rixis litibusque huius illiusve coetûs vel sectae hîc agere, quae subinde acerbitate

et vehementiâ magis quam rei momento et dignitate multorum oculos trahunt. Aeque minus nunc de certamine cogito, quod, ut magnopere vereor, in magnum civitatis et Ecclesiae Christianae detrimentum, iterum exarsit inter Protestantismi atque Romano-Catholicismi patronos. Quamvis et de huius certaminis momento nihil detraxerim, idem tamen censeo, illud non aequiparari tantum, sed superari etiam multo profundiori aetatis discidio, illo nimirum, quo non huius illiusve Ecclesiae tantum, vel totius societatis Christianae, sed ipsius Religionis, imo universi mundi moralis fundamenta funditus conquassata videmus. Semper magis eo tendit quem nonnulli dicunt saeculi genius, ut non tantum Ecclesiae, non tantum Christi, sed ipsius Dei viventis sanctissimaeque Religionis vincula solvat, altiori semper voce tristissimam cantilenam decantans: "*φάγωμεν καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν.*" Non adeo Sceptici, quam quidem Materialistae nunc in arenam nos vocant, ipsam Religionem sub quâvis formâ antiquatam esse perhibentes, atque ipsius Progressûs nomine nos supplices obsecrantes, ut tandem diuturna haec somnia de Deo rebusque divinis anilibus mulierculis relinquamus atque imberbibus pueris. Quid mirum, de ipsius Religionis Christianae interitu laete exsultare haud paucos, triste moerere permultos, atque illud: *πρὸς ἑσπέραν ἐστίν* a Theologiae atque Ecclesiae amicis tristissimo repeti vultu! Prouti tamen gravissimis malis minimum aliquid boni admixtum esse solet, ita ex his aetatis aerumnis publico Oratori hoc saltem lucri redundat, quod ei suppeditant dicendi materiam, quae magis data videri possit, quam anxie e longinquo quaesita.

Ad ipsum dicendi munus quod attinet, nemo Vestrum, opinor, Auditores, mihi honorificum huius diei invidet pensum. Felicissimum omnino Oratorem praedicare solemus, qui, coram tali Auditorum coronâ verba facturus, omnes patrii sermonis thesauros recludere, atque ita sive communem persuasionem enunciare, sive suam saltem prodere possit, ut et invitos tandem rapiat in medias res. Quis vero, etiamsi litterarum antiquarum studia haud plene neglexerit, orationis Latinae compositionem inter vitae amoenitates recensebit, neque reformidabit Ciceronis idiomate de rebus disserere, quas fortasse nunquam somniaverunt nec Tullius nec Quinctilianus? Longe aliter res sese habet, quando, munus Academicum auspicaturi, ét animo ét officio ad dicendum nos vocatos videmus. Tunc certa-

minis, quod aggredimur, ut ita dicam, programma promulgare solemus, reique novitas notis difficultatibus nescio quid iucundi adspergit. Nunc vero diu Programma innotuit; innotuit ipse Athleta, cum omnibus fere, quae ei insunt vel desunt; kalendarium eum ad suggestum hunc vocat, quodque de Luthero fertur — eum scilicet, quum Romae Missam celebraret, parum verecundum sacerdotem invenisse, qui illi iterum iterumque submissâ voce illud: passa, passa repeteret — id Oratori Academico subinde minatur, ubi ad audientium oculos convertere audeat suos. Nec mirum profecto, ab iis etiam, qui caeteroquin dapes Rectorales nequaquam contemnent, prandium hoc litterarium in deliciis vix recenseri. Difficile convivis, difficilius coquis placere; ubi vero ipsi experientissimi coqui convivae, convivae forte coqui futuri sunt, quid exspectandum ducitis et de optimo convivatore! Accedit difficultas argumentum eligendi, satis grave, concinnum, amoenum, neque a temporis desideriis alienum, neque ab ipsius dicentis personâ. Quale argumentum iam statim initio anni huius Academici mihi oblatum fuisset, si, quod tunc temporis ab haud paucis exspectabatur, novâ Lege de Institutione Academicâ latâ et sancitâ, Facultas Theologica a patriis Universitatibus tandem remota et repulsa fuisset. Hoc in casu — quamvis iniusto, si quid video, et perquam dolendo — ultimus inter Theologos Rector vix quidquam melius potuisset moliri, quam Theologiae, Academiarum Reginae olim, nunc Exulis, Orationem pronunciare Funebrem, et vos, caeterarum Facultatum lumina, pro benignitate Vestrâ, morientis sororis Querelam, Confessionem, Solamen, Testamentum, Vaticinium tandem, sine ullo dubio ita accepissetis, prouti ex hac vita discedentium voces venerabundi audire solemus. Abhinc vero, quamvis Damoclis ensis fortasse capitibus nostris adhuc impendeat, tota haec quaestio tam incerta haesit et haeret, ut vatibus aut poëtis potius, quam oratoribus relinquenda videatur. Viventem videtis sororem, cui Academica mors minabatur, nec viventem tantum, sed ita pro aris et focis pugnantem, ut etiam de futurâ eius vitâ atque victoriâ nequaquam desperare videatur. Hanc tamen spem tum demum non fallet eventus, si et vos, Humanissimi Auditores, nobiscum concertare haud dedignemini, aut saltem semper firmius persuasi fiatis de pretio atque sanctitate negotii, quod nobis, theologis, imprimis curae cordique est. Atque nunc iam tritum

illud: "Auditores humanissimi" aptissimum mihi transitum offert ad ipsius Orationis argumentum uberius et explicandum et commendandum. Ad ea redeo, quae iam de principiorum, q. d. pugnâ hoc nostro aevo observare inceperam. Quorsum in hac palaestrâ oculos convertamus, semper maiore numero certaminis socios abire videmus in duos diversissimos campos. Qui nostro tempore vel publice vel in mente Theologiam atque Ecclesiam deserunt vel oppugnant — sunt autem nec pauci, nec infimi — quamvis de gravissimis rebus inter se dissentientes, tamen in eo convenire solent, ut dextras fidemque iungant sub amplo vexillo, cui aureïs litteris vox Humanismus vel Humanitas inscriptum est symbolum [1]). Qui igitur fidei Christianae, imprimis orthodoxae q. d. adstricti manent, illi his aliisque multo minus humani videntur; subinde adeo inhumanitatis, intolerantiae, nescio cuius duritatis vel anxietatis suspicionem excitant vel accusationem; ne addam, ipsos hos Christianos atque Theologos identidem hanc animadversionem suâ dicendi agendique ratione pro parte certe elicere. Quod in proverbio est, Iliacos intra muros peccari et extra, id hîc quoque accidere solet; in genere autem, prouti res hoc temporis puncto se habet, divortium iam instare videtur inter Christianitatem, q. d. et ipsam Humanitatem, huc usque, ut plurimis videbatur, feliciter atque facile iunctas. Si multorum mentem haud male perceperim, optio nobis relinquitur, utrum revera Humani esse velimus, tunc vero non amplius sensu Biblico atque historico Christiani, an vero Christiani ut antea, hoc in casu autem a humanitatis laude in posterum desistamus. Quae optio — fatebor lubenter — si revera amplius evitari non posset, me aliosque haud parum in angustias duceret, quippe qui doctoris Biblici vel Christiani nomen nunc etiam cuivis alio pergant praeferre, iidem tamen doctoris Humani cognomen nequaquam spernendum censeant. Ut plane autem dicam, quae sentiam: talis optio mihi nondum necessaria videtur, quin satis phantastica, imo tota haec sententia, me iudice, tam iniusta est, tam inepta, et vero Ecclesiae Christianae et ipsi Reïpublicae tam perniciosa, ut religioni revera id ducem, tali commento non publice adversari. Divortium, de quo sermo est, neque flagito, neque permitto; ne quidem separationem, q. d. mensae et tori necessariam duco; matrimonio contra indicato characterem indelebilem vindico. Vos, gravissimi Viri, tanquam aequos

arbitros rogo, ut videatis, utrum recte an vero minus recte sic statuam. Quod ad me, ipsius Humanitatis officio ne deëssem, de industriâ argumentum elegi, non Theologorum tantum, sed Auditorii et mixti et docti attentione perdignum, et prae multis aliis ad veram, quam omnes optamus, pacem praeparandam idoneum. Humanitatem aetas sectatur; Humanitatem semper magis Religioni opponere incipit: agedum, dicam

DE RELIGIONE CHRISTIANA, OPTIMA VERAE HUMANITATIS MAGISTRA.

Vos autem, Auditores, ut mihi, gravissimum hoc argumentum, festo hoc die, thetice et apologetice magis, quam polemice exposituro, faciles aures animosque praebeatis, omni quâ par est observantiâ rogo, idemque omnibus huius Anniversarii futuris oratoribus, quos audire continget, a meâ parte sincere spondeo.

I. Ex errore citius emergere Veritatem, quam ex idearum confusione, experientia quotidie docet. Quocirca operae pretium est ab accuratiore rerum, de quibus agimus, definitione dicendi initium sumere. Religionis Christianae mentionem iniicientes, nequaquam hanc vocem significatione mere subiectivâ accipimus de sensu religioso, cuivis homini innato, a Iesu Nazarethano vitâ verbisque excitato, atque nunc in mundo Christiano ita vigente, ut fere ubivis Religio, sive ut melius dicam religiositas huius Iesu dominare inceperit. De Religione obiectivo sensu hîc sermo est, i. e. de Dei cultu spirituali, quem Iesus Christus, Dei Filius, hominum Conservator, divinitus missus, hac in terrâ ipse fundavit, mox vero, Ecclesiae caput vivens et agens, per verbum et spiritum ubicumque condere pergit. Hanc Religionem, obiective patefactam et subiective fidelium cordibus insculptam, nuncupamus Humanitatis Magistram. Nil facilius, quam de ipsâ hac voce multa in medium proferre, quae fortasse doctrinae quamdam ostenderent speciem, sed nil quoque hîc minus ad rem [a]). De hac enim notione idem valet, quod de Dei, e. g. vel miraculi, vel libertatis notionibus saepius dictum est; accurata descriptio minime levis, neque tamen ipsa res indefinita vel dubia est. Per Humanitatem non tantum innuo, quod hominem ornat, sed quod hominem vere constituit; non tantum, quod ad externam conditionem,

sed quod ad ipsam internam hominis naturam pertinet; non tantum φιλανθρωπίαν, sed veri nominis ἀνθρωπότητα. Non adeo ergo loquimur de illâ virtute, quâ benigni atque faciles erga alios sumus, urbanitate, decentiâ, civilitate, quamvis et haec omnia ad rem nostram pertineant. Humanitatis voce omne illud complectimur, quo fit ut genuini homines simus, naturae nostrae moralis nobilitatem ita sustinentes et vindicantes, ut, ab omni θηριότητι remoti, terrae domini, quin ipsius Dei εἰκονόφοροι non apellemur tantum, sed evadamus revera, ad id virtutis felicitatisque culmen tendentes, quod huic naturae propositum est. Humanitatis notione excluduntur omnia, quae barbara, prava, vilia; includuntur contra, quae ipso Homine digna sunt. Veram hanc humanitatem falsae opponimus, i. e. mere externae, fucatae, fictitiae, quae hominem extrinsecus polit, nec tamen intus excolit. Verae huius humanitatis studium iure Humanismum vocamus; laudabile studium hominem in homine excolendi, quod tamen nequaquam confundendum cum Humanitarismo, quippe qui hominem magis a parte sociali, quam quidem a parte morali considerare solet, religione vel parvi ductâ vel plane neglectâ. Vera humanitas nequaquam culturâ absolvitur, sed ad omnem vitam internam atque externam hominis, atque quidem totius hominis pertinet, nec officium tantum inter alia officia, sed ipsa hominis moralis conditio est. Huius autem humanitatis Religionem Christianam optimam salutamus Magistram, ut ita quoque appareat, nos nequaquam contemnere adminicula alia, quibus genus nostrum, moderante Sapientiâ divinâ, excolitur, artes, e. g. disciplinas, quaeque plura enumerare possemus. Quibus omnibus lubenter relinquimus, quos iure reclamant, honores; iidem tamen fidenter contendimus, nullibi meliorem verae Humanitatis Magistram, quam quidem Religionem, eamque Christianam, exstare.

Quod iam statim nobis apparet, ad ipsam hanc Religionem accuratius attendentibus, sive per se spectatam, sive cum aliis Religionis formis comparatam. Est enim illa — ut a simplicissimis, simul vero gravissimis ordiamur — est veri nominis Religio, quae personalem hominis vitae communionem cum Deo vivente constituit. Iam in universum re consideratâ dici vix potest, quantum invaluerit ad humanitatem excolendam Religio, quae multo maiore iure quam Philosophia „vitae dux, virtutis

indagatrix, vitiorum expultrix" dicenda est. Perdiu anteaquam philosophorum ederentur oracula, Illius potentissima vox et locuta est et ubivis audita. Certe, nobiliores artes mores emoliisse perversos, nec feros esse sivisse, agnoscimus laeti; doctrinam vim promovisse, homini insitam, centenis apparet exemplis, nulla vero vis tam efficaciter et vero salubriter in genus nostrum agere et potest et solet, quam quae — non dico ab Instituto quovis religioso — sed ab ipsâ Religione originem repetit. Quod nominatim de Religione Christianâ urgendum, quippe quae indole suâ ita comparata sit, ut ad omnes pervenire, eosque ad verae humanitatis fastigium evehere possit et debeat. Hoc de nullâ aliâ mihi cognitâ religione affirmare equidem auserim. De Religionibus enim Polytheisticis inter omnes fere constat, eas, naturae cultui dicatas, institutioni hominum morali multo magis obesse, quam prodesse. Ad Monotheisticas vero formas quod attinet, Iudaïsmus suos asseclas caeteris terrae incolis ita opponit, ut facile superbum contemtum intelligam, quo Iudaeus Apella cum sociis ab universâ fere Antiquitate receptus sit. Islamismus, absoluti Fatalismi et Quietismi religio, sensui morali, sine quo de vera humanitate ne sermo quidem esse potest, soporem potius obtulisse, quam sanum alimentum censendus est. Christi demum Religio fuit, quae non, veluti inter sidera Luna minora, sed ut splendidissimus Sol, e Cymmeriis oriens tenebris, unice viam ad veram Humanitatem non monstrare tantum, sed revera sternere potuit. Quod ne audacius me dicere alicui videar, ipsi attendatis, quaeso, ad huius religionis formam nativam, tam simplicem atque spiritualem, ut non tantum in Oriente vel Occidente, sed per totam terram facile observari atque excoli queat. Attendatis praeterea ad illius praecipuum placitum; non placitum cogito de Deo uno, sancto, perfectissimo Spiritu, sed de Dei gratuito amore, quo homines peccatores prior dilexit, atque secum reconciliavit, quod placitum, sive per se spectatum, sive cum omnibus illis coniunctum, quae haec Religio de hominis origine, naturâ atque futurâ destinatione nos docuit, non potest non vicissim amorem excitare erga Deum, omnis perfectionis moralis principium atque uberrimum fontem. Attendatis imprimis ad illius summum praeceptum, de fraterno nimirum amore, quo optimi Magistri discipulos ab omnibus dignosceret mundus, qui vero simul omnes

omnino homines amplectitur, neque acerrimum hostem excludit. Attendatis, ne plura dicam, ad huius Religionis propriam privamque indolem, in eo conspicuam, quod vita hominis, eam profitentis, moralis atque religiosa, ubivis fere vel seiuncta vel sibi invicem opposita, indivulso nexu coniungatur, atque ad summam harmoniam redigatur. Non mechanicâ ratione, sacerdotum tantum interventu, sed directe atque personaliter haec nostra Religio hominem ad Deum reducit, omnesque cultores ad spirituale sacerdotium vocat. Seiunctionis linea, quae alibi εἰσωτερικοὺς ab exotericis separat, hîc plane obliteratur; Iudaei et Graeci, Barbari atque Scythae, culti atque inculti eadem ratione ab eodem Deo docentur, totumque genus humanum divinitatis capax censetur. Quod si quis obiiciat forte, hîc tamen a salute omnes excludi, qui Christo fidem atque obedientiam denegent, hoc certe concedendum, imo probandum, simul vero addendum est, unicam ad salutem viam omnibus esse a Deo apertam, variasque gentes terrarum ab Eodem, summo rerum Moderatore, vario quidem tempore, immutato vero amore ad hanc viam ingrediendam vocari, duci, moveri. Quod non frustra fieri posse, unicuique sponte apparet, postremo hoc attendenti, quod iam Tertullianus in scriptiunculâ „de testimonio animae" saltem digito indicavit, ipsum scilicet animum humanum ad hanc Religionem prouti ad nullam aliam quasi compositum esse, ipsumque Euangelium non ad hanc illamve nationem, sed ad singulos homines, et quidem ad ipsum hominem in quovis individuo, tantâ vi atque efficacitate sese dirigere, ut revera hae duae voces, Evangelii nempe et cordis humani, identidem sibi respondeant invicem. Quid mirum, hunc characterem universalem atque vere humanum religionis Christianae eos quoque saepius atque lubenter agnosse, qui huic Religioni Ecclesiaeve ceteroquin perparum faverent? [3]) Quo interius in eius sanctuarium penetraverimus ipsi, eo magis repetere lubet: aut nulla, aut haec Religio non tantum nonnullis, sed omnibus esse potest vera humanitatis Magistra.

II. Sed quid diutius in atrio vos, Auditores, detineam, ubi ipsum templum nobis apertum videmus, ex quo iam millenae resonent voces, ad unum omnes idem testantes: quae unice esse potuit, haec revera Religio fuit. Quod si iam historicâ imprimis ratione adumbrare aggrediar,

ne credatis velim, me humanitatis studia apud Veteres alto supercilio spernere. Socratis quis obliviscatur, qui ex ipsius Ciceronis sententiâ lepore atque humanitate omnibus praestitit, et, ne de ipso Tullio dicam, Platonem quis insalutatum praetereat! At vel sic tamen, quam magna fuerit humanitatis laus atque vis, antiquorum exemplo scriptisve probata, ipsam huius humanitatis notionem sublimiorem, qualem nos eam adumbrare conati sumus, apud illos vix reperietis; quid, quod apud Graecos frustra vocabulum quaeritis, ad hanc ideam accurate describendam. Ubique in Antiquitate purae humanitatis notio Particularismo nationum haud parum obumbratur ac tegitur. Ipse Plato Graecos suos barbaris ita opposuit, ut altiori culturae ab his nil prorsus exspectandum esse haud obscure significaret philosophus; quidque Aristoteles de servis foeminisque statuerit nemini certe vestrum ignotum. Illi quoque, qui humanitatis capaces censebantur, multo magis quod ad intellectum atque ingenium, quam quod ad animum atque conscientiam excolebantur. Ita, successu conatum coronante, omnino genuini informabantur Romani, vel excellentissimi Graeci, veri nominis homines autem — eheu, tam parum in hac scholâ nobis occurrunt, ut universam Antiquitatem cum Diogene comparare possetis, qui accensâ釋 laternâ, ubique ipsum hominem quaerit, nec tamen alicubi invenit [4]). Sed ecce, Ille apparet, quem princeps Apostolorum summo iure *ἄνθρωπον ἐξ οὐρανοῦ* nuncupat; [5]) quique de se ipse nunquam non affirmavit, se *ἄνωθεν* venisse, quem vero quoque Filium Hominis dicimus, omni huius tituli vi. Apparet Religionis praestantissimae conditor, coelestis certe atque vere divinus, simul vero eiusmodi germanae Humanitatis exemplar, ut Terentianum illud: „homo sum, nil humani a me alienum puto” sublimiori sensu purissimae eius Imagini tuto subscribere posses. Quis nostrûm sibi unquam informare potuit doctorem *ἀνθρωπίνον* magis, quam Illum, qui *οὐκ ἦλθεν διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι*, at venit tamen edens et bibens, quin amicorum nuptias praesentiâ et signo honorans; et gaudii et doloris nostri, ut nemo alius particeps; semper hominem in homine quaerens, observans, diligens; imo aegre hoc ferens, quod pueros ab eo removerent discipuli, [6]) ipsosque hos discipulos ita instituens, ut hi, veri nominis *ἄνθρωποι θεοῦ*, Euangelium annunciarent pauperibus, illosque redderent ipsius *φύσεως θείας κοινω-*

νοὺς? [7]) Profecto, si ad huius Regis exemplar totus componi debet orbis terrarum, de verae humanitatis causâ nil desperandum esse censeant omnes huius causae amici! Vix enim primos optimosque Regni coelorum cives observare incepistis, quin homines tibi occurrunt, certe divinae prorsus vitae principio ducti, sed homines tamen, veri, imo humanissimi illi, de quibus hoc Paulinum invaluit: *τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοῦ γέγονε καινὰ τὰ πάντα.* Paulum commemoro; quis vero illum inhumanum dicere audeat, qui Iudaeis Iudaeus, exlegibus exlex, infirmis infirmus, omnibus omnia factus est, ut aliquot saltem servaret; illum dico, qui Christianis scribere haud haesitavit: *πάντα ὑμῶν ἐστὶν*, iisque praescribere: *ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, εἴ τις ἀρετὴ, καὶ εἴ τις ἔπαινος, ταῦτα λογίζεσθε.* [8]). Tali profecto absolutae humanitatis effato unum tantum aequiparari queat, ex eodem ore profectum, sublime illud nempe responsum captivi Apostoli Regi Agrippae, pene ad fidem permoto; effatum tam urbanum, decorum, facetum fere dixerim, certe tam humanum et Christiano homine dignum, ut ne ipse Demosthenes felicius unquam locutus sit! [9]) Quid de primis Christi sectatoribus dicam, ita mutuo amore coniunctis, ut gentes, in admirationem abreptae, exclamare cogerentur: "ecce, quantopere se invicem diligant, pene anteaquam alius alium noverit, parati pro fratribus mori"? [10]) Quorsum convertitis oculos, ubivis novum fermentum mundum socialem et moralem ita penetrare videtis, ut id, qnod vere humanum sit, non eripiatur, nec sepeliatur, sed contra renascatur, excolatur, et mox cernatur summo refulgens splendore! Ethnici calumniatores Christi gregem odii generis humani, fugae seculi, aliorumque criminum contra humanitatem accusant, eosque infructuosos in humanis negotiis habent: quid vero Apologeta? [11]) "Quo pacto", rogat, "nos ita dicemur homines vobiscum degentes? Neque enim Brahmanae sumus aut Indorum Gymnosophistae, sylvicolae et exules vitae. Meminimus gratiam nos debere Deo, domino creatori, nullum fructum operum eius repudiamus; plane temperamus, ne ultra modo aut perperam utamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris caeterisque commerciis cohabitamus, et militamus, et rusticamur, proinde miscemus artes, operas nostras publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videa-

mur negotiis vestris, cum quibus et de quibus vivimus, non scio." Verbo, nil vero humanum repudiavit nova Religio, omnia vero sanctificavit, et si iam typum verae humanitatis conspicere vultis, Carthaginem medio saeculo tertio, quaeso, intretis, tempore vehementissimae pestilentiae, ibique Christianos intueamini, brevi antea cruentâ persecutione vexatos, nunc vero, ad Cypriani monitum, inimicos curantes aegrotos, a suis plane neglectos, et ipsam urbem, insepultorum cadaverum odore inquinatam, haud sine summo vitae periculo indefesso labore purgantes. Quis nobis vim saluberrimam describat, quam Religionum exercuit optima, ad uniuscuiusque generis pestes pellendas, vitamque personalem, domesticam, publicam ita restaurandam, ut iterum et vitalis et vere humana evaserit? [12]) Ignoscatis, Auditores, si rem, prorsus inauditam, ratione haud nimis vulgari depingere conar. Omnibus innotuit fabula de Ephesinis dormitoribus septem, tempore persecutionis Decianae obscuro antro seclusis, mirificâ vero ratione post duorum saeculorum somnium resuscitatis, mox in urbem reducibus, nil vero de iis, quae antea cognita habuerant, recognoscentibus, quia nimirum, tempore diuturnae noctis, Euangelium Ephesi triumphaverat de hostibus, nunc profligatis. Si iam nobis liceret symbolicâ tali ratione Religionis vim in veram humanitatem describere, tunc — non adeo ut aliquid dicerem, sed ne prorsus tacerem — vobis adumbrarem unum alterumve e militibus antiquis Romanis, qui in castris Traiectinis, sive ut accuratius dicam Wiltemburgensibus, haud longe hinc remotis, ante haec quindecim saecula degerit, atque iam nunc redivivus notissimos visitet locos, ubi toties vigilias egit, circumductus scilicet a quopiam vestrum, qui iustae huius Redivivi interpellationi respondere et possit et velit. „Unde, dic sodes, pulcherrima haec tui templi cathedralis structura"? Christiana Religio tales architecturae formas creavit, antiquitati plane ignotas. „Unde haec Academia, quae, ut mihi quidem videtur, prisci temporis scholis comparari neutiquam potest"? Religio Ecclesiam, Ecclesia universitates fundavit vel auxit, prae caeteris theologiae, deinceps vero universis aliis disciplinis sacratas, quas iam per saecula illustravit atque utinam illustrare pergat Iustitiae Sol! „Audio, iam Gynaeceum tuum mihi commonstres." Gynaeceo carere possunt mariti, qui uxorem non servam, sed vitae sociam aestimant. „Pulchre, sed nullos video ser-

vos, num omnes in pistrinum sunt dati"? Quid commune cum pistrino Christi familia habet, quum servitutis flagitium tandem abrogatum videamus! „Mirabile dictu, cuinam vero consilio hae novae inserviunt aedes"? Nosocomium est, qualia Christianus amor primum nos exstruere docuit. „Hae vero"? Est Orphanotrophium, de quo tu nunquam audiveras. „Et illae"? Pauperibus destinatae, antiquitus tam turpiter neglectis. Iam noster, sive Caius ei vel Titius nomen, si forte tempore Iuliani Apostatae Romae fuisset, sibi nobisque in memoriam revocare posset, hunc Imperatorem quoque exstruxisse huiusmodi instituta benefica, nostra igitur nil adeo novi habere. Nos vero, quippe historiae haud plane ignari, ei statim reponeremus, Iulianum hoc scilicet fecisse ad exemplum Christianorum, atque igitur ad humanitatis cultum se contulisse, letali odio ductum. Quid plura? Nonne opinemini mecum, militem nostrum, semper magis obstupefactum, vix propriis oculis crediturum, qnin fortasse Iuliani illud repetiturum fuisse: „Tandem vicisti tu, Galilaeë"! Nos saltem, Auditores, ita exsultare haud dubitamus, atque ipsâ edocti historiâ, veritati suam denegaremus honorem, nisi laete concederemus: „quae unice esse potuit, revera fuit Religio, optima humanitatis magistra, imo etiamnunc perpetuo est"!

III. „Etiamnunc perpetuo est" — hanc autem tertiam orationis partem vix indicare aggredior, quin obloquentium voces quam plurimas audio, ad ipsam nimirum historiam provocantes, quippe quae luce clarius probet, Religionem Christianam inhumanitatis contra exstitisse vel foecundissimam matrem, vel saltem officiosam nutricem, atque contendentes, hodiernam nostram culturam cum religione parum vel nil commune habere. Persecutiones enumerant illi, religionis sancto nomine vel excitatas vel tectas; humanitatis studia deplorant, ab Ecclesiae patribus vel doctoribus non neglecta tantum, sed inexorabili fere saevitiâ condemnata; Galilaei, unius instar omnium, repetunt nomen, putantque se hoc uno satis superque dixisse. Et quis ego sum, Auditores, qui talium incriminationum tumidum fluvium sicco pede transirem? Quae alba atque lucida nix e coelo descendere solet, mox terrae immundae contactu ita contaminatur, ut splendorem plane amittat; en eheu religionis imago! Fides non tantum

amorem, sed et intolerantiam facile parit, quam inter humanitatis antipodes non recensere non possumus. Mane iam in primaevâ Ecclesiâ nescio quis Rigor asceticus exstitit, cui illud Tertulliani quasi symbolum erat: „quid Athenis et Hierosolymis, quid Academiae et Ecclesiae, quid haereticis et christianis," [13]) adeoque a litteris aversus, ut bonus ille Hieronymus se in visione a Deo verberatum diceret, quia scilicet Ciceronianus esset. Remansit, quod multo peius, antiquorum vitiorum multitudo innumera, et, ipse fatebor, quando ille, quem adumbravi, fictitius miles, iam nobiscum processisset ulterius, in haud pauca mox offendisset, quae et dictu turpia sunt. Corrupit, quod longe pessimum, Ecclesia ipsa haud pauca, quae Religio pretiosa attulerat, imo ipsius Sospitatoris nomine interdum commisit, quae Ipse condemnaret omnium primus. Ita fieri potuit, quod Religio, purissima filia coeli, oculis bene multis appareret in veste, non sordibus tantum, sed sanguine lacrymisque polluta, amicis rubori, inimicis opprobrio iusto. Sed si haec omnia lubenter, licet triste concedam, quid inde sequitur, rogo, ad ipsam impugnandam, quam nos defendimus, thesin? Optimi corruptio pessima, nec tamen corruptio ipsum optimum supervacaneum reddidit. Ubi Deus templum extruit, diabolus sacellum aedificat; quis propter sacellum templo valedicere audet? De Ecclesiae criminibus, sive veris sive fictis, vos iam querentes audivi: quo tamen iure Ecclesiae vitia Religioni imputabuntur? Hierarchia nondum ipsa Religio est; Piëtismus nondum ipsa religio est; mortua γραμματολατρεία nondum ipsa Religio est. Humana stultitia vel perversitas divinum eius opus impedire omnino potest, nec tamen illud plane frustrari; nix, luto terrestri commixta, atra fit atque horrenda, et vel sic tamen irrigat agrum, ut novos proferat fructus. Negari vix serio potest, optima quaeque humanitatis, quâ aetas gloriatur, praesidia vel directe ex ipsâ Religione orta, vel saltem ita cum eâ coniuncta esse, ut separari vix queant. Quod imprimis patet quando animadvertimus, Religionem Christianam atque Humanitatem etiam his nostris temporibus vulgo aequali procedere passu; contra vero, ubi illa recesserit, hanc quoque sensim decrescere. Hoc eo magis mirandum, quia haec religio iam diu nova esse desiit, nec tamen, si de arbore e fructubus iudicemus, antiquata videtur atque agendi vi destituta. De Macrocosmo iam dixi; nunc vero

si ad Microcosmum, ipsum hominem eundemque internum convertimus oculos, infitias ire haud possumus, hanc Religionem, ubi revera in cordibus vivit, nunc etiam efficere, quae nulla alia efficere potuit. Peccata cum verâ humanitate pugnare, recte iam viderunt antiqui: „Humanitas," ita Seneca, „vetat superbos esse adversus socios, vetat avarum." Attamen quae vetaret peccata, radicitus exstirpare, novumque adeo cor in pectore humano creare, hoc non Latii Helladisque sapientia, hoc tantum Christi Spiritus potuit [14]). Ipsum fontem inhumanitatis hic recludit internum, arrogantiam dico et nimium sui amorem. Veram cordis *καθάρσιν* ita efficit, quam ipse Plato postponebat mentis *νοήσει*, et quos Homerus suos heroës identidem vocat, ille homines revera *θεοειχέλους* facit. Hac Religione non tantum pulchri, veri, venusti, sed ipsius Sancti indefessum studium alitur; excitatur conscientia, et per conscientiam cognitio illa peccati, quam uti universae salutis, ita et restauratae humanitatis initium dicere posses. Virtutem primam non tantum, sed et secundam, quin et tertiam proclamat illam humilitatem, *ταπεινοφροσύνην*, quae hominibus peccatoribus tantopere convenit, apud veteres vero vitium multo magis censebatur quam virtus. Ita deprimit hominem, sed ut eum eo altius evehat; ab impuro mundo separat, sed ut eum interius cum Deo fratribusque coniungat; verbo, peccati servum eum manere haud sinit, ut eum eo melius et verius h o m i n e m reddat. Quid mirum, L y r a e symbolum prae aliis multis iam antiquitus placuisse Christi cultoribus, quo indicari iis videretur, optimum Sospitatorem, alterius Orphaei ad instar, *τὸ θηρίον* in hominis pectore et in societate humanâ domitare, atque ad ipsam humanitatem eundem perducere suos! Nisi tempus vetaret, ex historiâ hodiernâ M i s s i o n i s q. d. centena laudare possem exempla, satis superque probantia, apud incultissimas quoque nationes veram oriri atque procedere Humanitatem, ubi eos huius Religionis lumen collustret [15]). Optime scio, Auditores, me nequaquam nova proferre; ubi vero video, talia miracula moralia multis aevi filiis in futuram oblivionem aut fieri, aut scriptis mandari, hoc saltem his Religionis obtrectatoribus observare licebit, quod et illa libertas religiosa, quâ suo modo utuntur, peculiare huius religionis beneficium est, quod humanitati certe prodest, antiquitati vero vix nomine cognitum fuit. Hoc etiam, quod recte vocant inviolabile hominis ius, Ei

unice acceptum referimus, qui conscientiam liberavit, atque »homini hominem rem sacram" non tantum cum Seneca dixit, sed Ipse reddidit, atque etiamnunc reddere pergit. Ipsa haec igitur nondum abrogata religiosa Libertas novum nobis indicium est, hanc Religionem non olim fuisse tantum, sed etiamnunc manere humanitatis Magistram. — Quod si haud temere contendere pergam, haud adeo difficile erit, et alias difficultates expedire, ex ipsâ huius temporis conditione religiosâ deductas. Multos scilicet, — quod iam initio indicavi — mihi forte quisquam monstraverit, qui eo magis se homines profitentur, quo penitius Christi exuant iugum; haud paucos alios alius novit, qui, Christi milites, a verâ humanitate se longe alienos ostendant. At vero, ubi haec similiaque temporis signa vobiscum video atque sincere deploro, simul vos èt Religionis èt Humanitatis nomine obsecro, ne falsâ decepti specie, iniustum proferatis iudicium. Ad posteriores, christianos scilicet inhumanos, quod attinet, concedo, veram humanitatem non semper inveniri apud Ecclesiae *στύλους*, aeque minus ac apud disertissimos recentioris humanismi patronos. Non desunt, quibus Paulus fortasse testimonium daret *ὅτι ζῆλον θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν.* Quod etsi non excusandum, tamen facile explicandum videtur ex aevi nostri Intellectualismo, q. d., qui Religionem magis in capite quam in cordibus quaerens, non potest non diversarum sectarum fautores subinde inhumanissimos reddere, et ad unamquamque duritatem proclives [16]). Qui vero hanc ob causam ipsam Religionem despiciat, eamque huius aevi Magistram repudiet, eodem iure et Philosophiam spernat, propter miserrimas Sophistarum argutias, vel Medicinam, propter pharmacopolae circumforanei fraudes. Aliquid humanae condonandum imbecillitati; multum ex aevi, in extrema quaeque ruentis, pugnâ interpretandum; omnia atque optima quaeque a persuasione speranda, quae meliores quosque semper magis penetrare incepit, Christum suos non Monachos, sed revera Homines facere. — Si contra alii sunt, qui ipsius Humanitatis nomine Euangelium respuunt, et de iis candide profitebor, quid sentiam. De internis non iudicat Ecclesia, neque iudicabit Theologus; qui libertatem non per Christum, sed extra Illum quaerunt, carnalis libidinis causâ, ipsorum propriae eos relinquo conscientiae. De nobilioribus vero Apostatis censeo, eos optima quaeque, quae iis in-

sunt, ipsi huic Religioni debere; aëri saltem, ut ita dicam, Christiano, sub quo nati et educati sunt; maternae forte institutioni, quae Libanium exclamare coëgit: „proh, quales foeminas habent Christiani!" Insoluta vero quaestio manet, quid superit, quando omnia haec elementa Christiana prorsus e vitâ externâ atque internâ evanuerint, neque iam desunt exempla, e quibus appareat, nonnullorum saltem culturam, quam dicunt aestheticam, a morali plane seiunctam, notissimae mulieri Horatianae aequiparandam esse, formosae illi superne, sed — turpiter atrum in piscem quae desinat [17]). Quidquid est, illos, qui humanitatem extra Christum quaerunt, pro Iunone nubem amplecti, mihi omni certo certius est. Nullâ sub conditione antithesin Lessingianam admitto, ubi de Zelotis affirmat: „homines non sunt, sed Christiani tantum [18]);" haud maiore iure dixisset: „pueri non sunt, sed adulti tantum," nam homo Christianus est nobis homo κατ' ἐξοχήν. Aeque minus Rossavii laudem intelligo, a Schillero sic enunciatam: „illum scilicet ex Christianis homines facere [19])," nisi forte dicere voluisset poëta: „eum maiores minores reddere," nam repeto, Christianus est nobis κατ' ἐξοχήν homo; qualis vero homo iste Rossavius fuit, certam quamdam domum rogate, infantibus destinatam expositis. Aut vehementer erro — hîc autem errare mihi vix humanum videtur — aut nostro generi nondum melior est inventa Magistra, quâ perducatur ad maiorem humanitatem, quam Religio Christiana ad hunc usque diem creare atque nutrire non desinit.

IV. His tamen expositis, Auditores, iam ulterius progredi licet, atque quarto loco hoc addere: quod nunc etiam est, manere debet Religio. Scio, haud desunt plurimi, atque inter illos gravissimi viri, qui longe aliter sentiant. „Sit ita," sic eos audire mihi videor, „Religio Christiana prae caeteris nos excoluerit ad illud humanitatis fastigium, ubi tandem stare incepimus: ergo iam nova periodus instat, quâ plane adulti illâ tuto carere possimus. Iam artes, doctrinae, litterae, hoc nobiliori spiritu imbutae, optimae matronae pensum perficiant, quum ipsa senectuti succumbat." Et si porro quaerimus, quid tandem perpetraverit misera, quae a fortibus neglecta, nunc infirmis tantum atque ineptis in posterum commendatur magistra, permulta in eius dedecus audire solemus, imprimis

vero duo, quae e multorum iudicio schisma Religionem inter et Saeculum plane inevitabile reddunt. Religio scilicet nimis dogmatica erit aevo tam antidogmatico, et contra haud satis practica tempori, semper magis ad praxin converso. Quo me anxium vertam, quum tales querimonias ab iis quoque repeti video, a quorum perspicacitate iudicium magis aequum sperassem! Num forte ad Institutionis Moralis Independentis, q. d. hodiernos patronos, clamitare haud desinentes, educationem hominis moralem sine dogmatum ope perfici debere ac posse, eumque adeo huc perducendum esse, ut virtutem absque religione excolere discat, aut saltem sensum religiosum, a historico Christo seiunctum? Dummodo tandem illi excellentissimi viri mihi fructum sine arbore monstrent, vel arborem sine radicibus, vel radices saltem sine fundo, quem vitae irrigent fontes [30]). Hoc saltem perspicaciorem quemque latere vix potest, omnem vitae moralis veram unitatem unice in Deo latere, Deum autem ignotum cognosci non posse, nisi quatenus se patefaciat, quod Eum revera atque optime in Christo fecisse, semper iure credidit, neque credere desinet Ecclesia Christi. Iam ab experientissimo quovis hoc unum quaerere liceat: quomodo hanc patefactionem cognoscere, explicare, aestimare, vindicare potero unquam, sine ullâ dogmatum, quin ipsius Dogmatices ope. Rigidum dogmatismum, quo scholae formula cum ipsâ veritate commiscetur, nequaquam defendo; religionem vero sine dogmatibus aeque minus cogitare possum, ac institutionem moralem, plane a religione seiunctam. Quid, quod ipsi Dogmatices acerrimi hostes vulgo sua priva dogmata habent, quibus valedicere nolunt: hoc unum atque unicum saltem, nullum dogma quidquam valere, nisi et hoc ipsum incertum relinquant, et tamen eodem tempore — tanquam ultimum dogma proclamant. Religio igitur illa absque dogmatibus, de quâ se meliora sperare Saeculum iactat, somniantis delirium est; contra, renovatâ atque profundiore disquisitione dogmaticâ genus nostrum magnopere indiget, illud iure unice rogans, ut unusquisque in hac viâ dux huic Augustini praecepto atque exemplo obtemperet ipse: "quisquis hoc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter haesitat, quaerat mecum; ubi errorem suum agnoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad Eum, de quo scriptum est: quaerite Eius faciem semper" [31]). Quid alii

iudicent nescio, ego vero, nisi fidem plane amiserim, spem mihi non eripi patiar, tale Dogmatices studium ipsi Religioni nequaquam nociturum esse, quin et in posterum verae Humanitati egregie profuturum!

Iam vero ab alterâ parte, si quis perhibere haud desinat, hanc Religionem non satis esse ad praxin, cui aevum favet, conversam, quippe quae terrestrem civitatem non curet, curet tantum regnum coelorum; suosque cultores pigros reddat, et si non pigros, saltem ita rigidos aut taediosos, ut spiritum tantum spectent, materiam vero negligant, carnemque discrucient, cui tandem, tam diu depressae, plena sua concedenda sunt iura: — quod ei reponendum habeo, breve et simplex, at vero serium erit. Calumniaris tu, quod nunquam recte novisti. Permultos Christianos fortasse ad hunc illumve morbum, quem indicasti, pronos atque proclives esse; non est quod diffiteamur. Ipsam autem Religionem talem cogitandi agendique rationem vel parere, vel legitimam reddere, ipse tu vix credere possis. Timon Atheniensis non figura Christiana, sed a capite ad calcem ethnica est; quo magis Christi sumus, eo melius homines fimus. Querelas tuas obsoletas de naturâ scilicet a Deo spoliatâ; de homine, ethice nimis, non satis aesthetice ope religionis exculto; de terrestri patriâ pro coelesti neglectâ, aliasque huius generis fabulas illis, si placeat, repetas, qui neque sanum Theïsmum, neque ipsum laetum nuncium, neque vitae humanae explicationem vere harmonicam religionis vi cognita habeant; nobis vero nunquam persuadebitis, Religionem mundi contemtum exigere, in cuius Codice lego: *„ὅτι πᾶν κτίσμα θεοῦ καλὸν, καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον, μετὰ εὐχαριστίας λαμβανόμενον"* [22]). Cultura vero absque hac religione, cui tu favere contendis, barbariem non tollit, sed auget; monstri, quod unicuique homini inest, fortasse ungues rescindit, incrementum vero alarum impedire neutiquam potest. Hac Religione e vitâ publicâ et privatâ remotâ, adhuc satis nos habere statuitis, quae vitam vitalem reddere possunt, culturam nimirum aestheticam, naturae assiduum studium, honestarum rerum religiosum fere dixerim cultum, neque ullum horum bonorum equidem inepte despiciam. Sed religionis, sed Christi, sed ipsius Euangelii loco ponenda? Attamen quid artes contra conscientiae morsus; quid disciplinae animo dolore dilacerato; quid naturae studium in medio mortis pavore; quid cultus Honesti, qui ipsius Infiniti sitim

ardentem explere non potest? [23]). Sed ipsam hanc sitim fortasse non magnopere curas; hoc populus scilicet tantum curabit, qui mox, meliora edoctus, tandem cum antiquis Romanis nil supra panem et Circenses desiderare incipiet? Ah, iam tuam Humanitatem percipio, atque probe intelligo, quid, omni molesto Spiritualismo aversans, de legitimâ carnis emancipatione murmurare haud desinis! Hoc igitur erat arcanum sapientiae tuae, quod homines, a Divinitate abreptos, ad pecorum genus detrudas, eosque ventri obedientes effingas atque ad omnia carnalia pronos. Haeccine tua gloriosa humanitas est, ut sensum religiosum ex organismo physico deducamus, talia somnia pro Realitatis desiderio missa faciamus, animos immortales sub luto sepeliamus, prouti vespellones corpora faciunt, atque ipsum Sepulchrum laetâ inscriptione: »aeterna domus" ornemus! Porrige mihi, non antiquum Euangelium dico, sed symbolum Quicumque, sed Encyclicam papalem, sed Syllabum porrige. Bis atque centies his omnibus subscribere malo, quam tale commentum admittere, et Humanitatis baptizare nobilissimo nomine, quod nil est nisi incarnatae Inhumanitatis, imo — ut barbara barbare dicam — ipsius Krypto-bestialitatis mysterium! [24]).

V. »Etsi omnes, ego non." Sed potius dixerim: etsi ego, neutiquam omnes. De Religionis enim triumpho finali dubium absurdius etiam, quam ipsius religionis oppugnatio foret, atque omnibus bene perpensis, disputationis ultimam thesin fere axioma habebitis, Religionem scilicet, quod adhuc est et manere debet, aliquando tandem u b i v i s f u t u r a m e s s e verae humanitatis magistram. Quod ne quis ita accipiat, ac si hodiernae pugnae finem iam prope instare, laetus augurari auderem; contra, si quid video, principiorum discidium maiore etiam quam antea vi animos irritare atque disiungere perget. Ab incunabilis inde ad hunc usque diem Christiana religio graviora vix passa est, quam quae nunc experiri debet indifferentiâ, contemtu, hostilitate bene multorum, a quibus fere ignorata damnatur. Certaminis aestum ruïnasque inde ortas sincerissime lugeo; de certaminis vero exitu dubius haerere non possum, neque vos, Auditores, poteritis, ubi uno obtutu campum metientes ipsi varios eventus pendatis, quos hîc nobis informare possimus. Vel — ipsi vos iudicatote — num verosimile est, quod Religio humanitatis studia pelleret

et prorsus devinceret? Sed quatenus hoc studium ad veram humanitatem se dirigit, Religio hoc nec potest nec vellet, neque quisquam inter eius germanos amicos illius cupiet celebrare victoriam in genuini Humanismi sepulchro. Fatalis certe partitio foret, quae iam a nonnullis proponitur, quâ scilicet in posterum semper magis cultura cum incredulitate, fides cum barbarie coniungeretur [25]). In tali vero nemo acquiescere poterit, qui saltem perspectum id habeat, Religione nobiliora quaeque in homine non exstingui, at vero excitari debere, atque nullam Ecclesiam, quamvis externâ auctoritate fulcitam, revera posse florere, nisi aeternis atque legitimis hominis peccatoris desideriis atque aspirationibus satisfacere pergat. At non ita sese res habet, ac si antiqua Religio repraesentaret immotae stabilitatis, Humanismus hodiernus continui progressûs principium; contra, Religio veri progressûs amica, atque immota stabilitas apud illos quaerenda, qui non desinunt absque Religione a mundo atque homine exspectare, quod neuter dare potuerit. Religio igitur inhumanitatem nequaquam fovebit: nisi forte *αὐτοχειρίαν* committere velit. — Sed forte, quod alii credunt, Humanismi studia Religionem tandem expellent, eiusque locum desertum occupabit tandem nescio quis Cultus ipsius humanitatis? Aeque minus hoc nobis verendum, historiâ quippe edoctis, Humanismum quidem Reformationis desiderium excitare, quin novam adeo Reformationem praeparare, nunquam vero solum illam efficere, multo minus sive Ecclesiam sive ipsam Religionem supplantare vel excipere posse. Nequaquam Humanistas contemno — a Roterodamensi non exspectaveritis, ut Erasmi manes insalutatos praetereat — contra, eorum optimos Christi aliquatenus praecones atque praecursores huic nostro quoque tempori aestimo; a praestantissimo tamen praecursore sperare neutiquam potero, quae ipse tantum Rex aequalibus potest afferre. Quod honorificum munus si denegent atque Christianae religioni bellum declarent, Humanismi patroni non nobis, sed sibimet ipsis gravissimum afferent damnum, neque ullo modo quae commotum tempus revera indiget ei poterunt suppeditare. Mox apparebit de illis, qui hominem sine Christo excolere student, illud desertae Nymphae apud Nasonem [26]) valere:

> Quid facis, Oenone, quid arenis semina mandas?
> Non profecturis littora bobus aras.

Talem Humanismum mox Humanitarismus, Positivismus, vilior semper Materialismus excipiet, et tandem caput efferet in societate moderna illud:

„monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum",

Atheïsmum dico, qui iam hoc saeculo multos centenos victimas cecidit, et Deum denegans simul ita interimit hominem, ut crimen laesae Maiestatis non tantum, sed laesae Humanitatis habendus sit [27]). Atheïsmus igitur, ipsi sentitis, sub nullâ conditione ultimum esse poterit vocabulum in Historiâ humanitatis. Quid igitur? — Num revera, sine ullo fine, implacabile bellum inter oppositas partes grassaretur? Sed postremum tertium hoc, quod tamen unice restaret, omnium quidem longissimum a veri specie distat. Religio enim humanitatem non occidit, sed quaerit et colit; humanitatis contra studia, saltem profundiora semper, per multos forte ambages, genus nostrum ad Illum ducere vel reducere debent, de quo illud ἴδε ὁ ἄνθρωπος valet atque pergit valere, ut de nemine alio magis. Triumphabit patefacta Religio, nequaquam characterem suum supranaturalem et historicum sensim sensimque amittendo atque exuendo, sed semper magis monstrando, illud Supranaturale atque Historicum internis et aeternis ipsius Hominis, non nisi in patefacto Deo acquiescentis, desideriis atque indigentiis unice atque revera sufficere [28]). Nobis saltem huic spei indulgere licebit, sensim plures atque meliores esse exstituros, qui intimam coniunctionem inter τὸ Humanum atque τὸ Divinum semper clarius perspiciant, exponant, verbis non tantum, sed vitâ factisque aliis exprimant, ut tandem omnes, qui videre velint, agnoscere debeant, veram Humanitatem atque Religionem Christianam ne mente et cogitatione quidem a se invicem separari posse [29]). De iis, qui sincere superna atque sempiterna quaerunt, non nimis solliciti simus: ὁ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς. De caeteris vero, qui sub falsae libertatis vexillo ipsius Humanitatis nomine humanitatis Restauratorem iterum crucifigunt, olim aliquando repetet posteritas, quod post devastatam Armadam nummo cuidam insculptum fuit: „afflavit Deus, et dissipavit eos." Patiens Ille, quia aeternus; habet suas horas et moras. Attamen post varios casus totidemque discrimina rerum, non desistit Deus ab adorabili consilio, quod genus nostrum tandem Christophorum reddere velit, prouti se ipsum semel dixit Ignatius. Iam melioris diei Aurora e longinquo illucescere coepit.

Humanitatis triumphus, at maxime per Religionem; religionis Christianae victoria, talis vero, quâ renovatur genus humanum, en vobis eventum, quem fides exspectat, quem amor expetit, qui spem exsultare iam facit. Ita tandem — ut omnia uno complectar — post longum peractum certamen apparebit terrae coeloque, Pacem revera omnium esse »optimam rerum." Tunc vero etiam, diërum illâ ultimâ et vero maximâ, videre licebit [30]) »Deum saeculorum decursum ordinasse tanquam pulcerrimum carmen," atque sublimis huius carminis haec erit ultima stropha: *Πάντα θεῖα, καὶ ἀνθρώπινα πάντα. Ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.*

Orationis argumentum delibavi tantum; minime ab omni parte exposui. Si vero aliquatenus mihi propositum assequi contigit, haec quinque iam apud nos constant. Religio Christiana optima ad veram humanitatem Magistra unice esse potest; semper fuit; etiamnunc est; manere debet; aliquando ubivis erit. Haud pauca e dictis Corrolaria deducere possem, inquirendo quid ex iis sequatur, et quod ad divinam huius Religionis originem; et quod ad iuventutis Institutionem, cum fundamentalem, q. d., tum Academicam; et vero etiam quod ad ius, quo Theologia Christiana et in posterum in patriis Universitatibus honorificum occupet locum. Sed ipse mihimet ipsi vobisque inhumanitatis vividus typus viderer, si plura ab indulgentiâ vestrâ requirerem. Hîc igitur rivos iam claudo, sperans fore ut, quidquid caeterum in meâ disputatione desideretis, quod ad doctrinae copiam, saltem ob professionem pietatis aut laudetur, aut excusetur. Iam vero paulo, non dico maiora canamus — maxima revera cecinimus — sed nobis tamen Academicis hoc die propiora. Antequam solemne id: »Rex mortuus, vivat Rex" ex ipsius munere defungentis ore audiatis, quaenam Adversa et Prospera postremo anno nobis contigerint, breviter mihi sunt enarranda.

Haud sine iustâ causâ profecto Adversa primum commemoro. Innumera quidem in nos contulit beneficia divina benignitas, cui unice hoc acceptum referimus, quod vos certe salvos incolumesque hunc diem celebrare videmus. Peculiariter ego nil antiquius habere possum, nil sanctius

quam Deo gratias agere, qui mihi, minus forti quam multis videar, ad gravissimum munus vocato, vitam viresque sustinuit; gratias itidem fido meo Achati, Senatûs Actuario, clar. Koster, qui mihi saepius roganti auxilio suo nunquam defuit. Universe tamen res nostras considerantibus, nemini nostrum, opinor, annus praeterlapsus inter feliciores recensendus videbitur. Non defuerunt saltem, quae nobis nequaquam laetandi copiam darent, imo quae acerbissimo dolore animos depressos implerent. Numerus eorum, qui me Rectore Academiae adscripti sunt civibus, vel peractis studiis almae matri vale dixerunt, praecedentium annorum numerum nequaquam superavit. Subitá scholae medico-militaris migratio dicamne an eclipsis Amstelodamum versus, Traiecto nostro neque gaudio esse potuit, nec emolumento. Pluribus Vestrum tristiora acciderunt, haud opinata, omnibus vero infando animus est percussus dolore, quem ipse hic dies publice renovare nos iubet. Cui nostrum tristissimus ille dies Maii e memoriâ excidet, cum subito fama audiebatur, tanti eheu praenuncia luctûs, nobilem illum van Rees, uno temporis puncto aquâ submersum, mortem invenisse in undis, ubi sanitatem viresque tranquillus quaesierat? Quasi fulmine icti, e sereno coelo micante, audimus, nec credere possumus, mox vero nimis verum esse, videmus, repetimus, gemimus. Obstupuit ars, doluit scientia, luxit, neque adhuc lugere desinit urbs, Academia, Patria. Et utinam haec tristissima clades saltem unica nobis mansisset! Sed vix praeterlapserat dimidium anni post Viri desideratissimi exequias, haud facile obliviscendas, quum novum vulnus illatum est, quod manet altâ mente repostum. Clarissimi Millies dum repeto nomen, lugubris illa vespera in memoriam redit, quum eum iam moribundum esse attoniti audiebamus, quem nemo fere aegrotum esse acceperat; lugubris vespera, eheu, quam excepit lethalis Aurora. Quis desiderio pudor aut modus, ubi tam cara capita morte profligata videmus? Et tamen, uti triste, ita et dulce de iis, quos moerentes amisimus, et hoc loco disserere, eorumque effigiem nobis ob oculos ponere. Agedum, huic cordis voci obtemperemus, atque nostrae ipsorum fragilitatis memores, Defunctis iusta solvamus!

Ottonis van Rees honoratissimum nomen commoto animo repetenti, facile mihi succurrit, quod saepius Veteres dixerunt: »fortes creari fortibus et bonis." Quod tamen hîc non de corporeâ, sed de spirituali fortitudine

dici, vix est quod moneam iis, quibus celeberrimi Patris clarissimum atque carissimum Filium penitius cognoscere contigit. Quis enim nescit, hunc patrem iam iuventutis tempore Collegae defuncti familiaribus haud semel dixisse, se nunquam de moribus, saepius vero de sanitate excellentissimi filii fuisse sollicitum? Quo magis divina est praedicanda benignitas, quae per quadraginta et duos annos hunc thesaurum non patri tantum, sed et patriae atque Academiae concessit ac conservavit. Ipsis natalitiis Christi anno huius saeculi vicesimo quinto Leodii natus, iam anno tricesimo primo, exortâ seditione Belgicâ, cum patre, huc vocato, Traiectum venit, ubi, tribus fere annis stationis Groninganae exceptis, caeterum vitae tempus habitare perrexit. Praeclarâ institutione Gymnasii Traiectini formatus, consueto tempore Academiae civibus adscribebatur, Iurisprudentiae studiis destinatus. Non Holtium atque Hallium tantum nactus est praeceptores egregios, sed et Vreedium et Ackersdykium, idque tanto successu, ut postea huius successor vocatus, illum salutare potuerit in Iuridicâ Facultate collegam. Scilicet, quamvis disciplinam, in quâ dilectissimus pater vitae tabernaculum posuerat, nequaquam insalutatam praeteriit, tamen ei maxime placere coepit H i s t o r i a e, inprimis O e c o n o m i a e P o l i t i c a e studium, quidque in eâ valeret iam Academicâ dissertatione, quamvis (quod tunc temporis adhuc rarissimum) belgico sermone conscriptâ, erudito orbi monstravit. Neque ipsis Musis valedixit profecto, curriculo Academico tandem ad finem vergente. Contra, vitae publicae honores vix ambiens, privatorum studiorum voluptate se in dies magis allici haud obscure significavit, eorumque mox nova specimina dedit, imprimis editâ de G. C. Hogendorpio Commentatione, quâ summi huius viri merita in Oeconomiam politicam exponerentur; disquisitio, a Societate nostrâ Rheno-Traiectinâ e communi moderatorum suffragio auro ornata. Quid mirum, Athenaei Illustris Daventriensis Curatores mox in Auctorem oculos convertisse, cathedrâ vacante, quam occupaverat clar. Jonckbloet? Hac vice quidem Noster professorii muneris honores cedere debuit doct. Ioh. van Vloten, ei praelato, quod ipse vix aegre ferebat vir modestissimus. Haud longe tamen postea a Groninganis eius merita ita agnita sunt, ut extraordinarii, mox vero ordinarii Professoris titulo eum ornandum censerent, quo munere Groningae honorifice functus est, donec, applaudentibus omnibus bonis, anno saeculi

sexagesimo huc vocatus, se ad novum accinxerit certamen Academicum, oratione habitâ de disciplinâ Statistices.

Quid de octo annis enarrabo, per quos nostrae Academiae praesidium fuit, et vero dulcissimum decus? Ipsi virum novistis, atque in eo observare potuistis, quod Persius laudat:

„Compositum ius fasque animi sanctosque recessus
„Mentis et incoctum generoso pectus honesto."

Vastam, quam sibi comparaverat, eruditionem ita in usum studiosae iuventutis non tantum, sed et ipsius societatis convertit, ut nemo magis aureum illud sibi ante oculos posuisse videatur: „nisi utile est quod facimus, stulta est gloria." Quod rectum, bonum, iustumque hoc curabat, et rogabat, et totus erat in illo. Nil ei inerat, ad Rhunkenii Doctorem Umbraticum vel aliquanto compositum; non scholam, sed vitam spectabat, aliisque inserviendo omnibus, quae sciebat, consumebatur. Quantum autem sciret, hoc et testantur discipuli, nominatim societatis Academicae membra, Colendae menti dicatae, et saepe expertum est sodalitium, Utili cognitioni sacratum, et vero omnibus innotuit, cum aliis egregiis scriptis, tum inprimis palmario opere — eheu, non ad finem perducto, atque eatenus etiam medio abruptae vitae monumento et symbolo — quod, si non aeternitati, saltem posteritati scripsit, quo in Historiam Oeconomiae politices patriae nostrae usque ad finem saeculi duodevicesimi accurate inquireret. Si omnia memorare vellem, nequaquam tacere liceret de ratione, qua Historiae Universalis Patriae, a doct. Arend inceptae, gravissimam partem ita tractavit, ut idonei iudices ingenuo dolerent, totum opus non ab initio inde elaboratum fuisse hac doctissimâ ac prudentissimâ manu. Eo magis hi aliique labores aestimari debent, quo minus corporis infirmitate se ab iis abstineri passus est strenuus Auctor, qui non tantum quod potuit fecit, sed plus forte, quam iure ab eo exspectare liceret. Nimirum, illis erat annumerandus Van Rees, qui nil actum reputantes, donec aliquid agendum superesset, eo maiore laude dignos se praestent, quanto minus immodicam laudem sectentur. Inerat ei ingenii non tantum, sed ea voluntatis et animi vis, quâ non facile quod sibi proposuerat missum faciebat; inerat

vero simul ingenuus candor, quo, in neminem dominari studens, tamen omnium fere corda sibi devincere potuerit. Sed quid iustis laudibus equidem addam, quas et alii et imprimis Defuncti integerrimus Amicus clar. Fruin, ad apertum sepulchrum verbis enunciarunt, quae omnibus certe imis infixa manserunt medullis? Lugeamus igitur et hodie Hominem illum, integrum vitae scelerisque purum, modestum, religiosum, humanum; Patronum ex animi intimâ persuasione et libertatis et verae liberalitatis; Doctorem Academicum amabilem atque amatum, qui discipulos non tantum sibi, sed ipsi scientiae atque virtuti nunquam non abstringere studuit; Amicum, Uxorem, Patrem, Filium, quo meliorem pauci noverunt. Filium dico — quid vero de luctu spectatissimi patris addendum, quem aliquatenus Decanum omnium quinque facultatum salutare solemus, et post talia fata superstitem esse sincere gaudemus? Abest Vir celeberrimus, cum publico nostro luctu privatum domi coniungens, ita vero coniungens, ut Deo gratias agere par sit, qui Ipse afflictum sustinuit, quem homines consolari non possent. Iam Ottonis nostri Van Rees carissimum nomen nominibus iunioris Suermanni, Hullemanni aliorumque adscriptum videmus, praematurâ morte, ut nobis quidem videtur, huic vitae ereptorum terrestri. Vita illa, non adeo torrenti fluvio similis, quam quidem placido rivo, per virentia prata fluenti, in Oceanum aeternitatis defluxit. Quid plura dicemus? Fiat voluntas Illius, qui dedit, et demsit, et manet Pater in Christo misericordiae plenus, *θεὸς οὐ νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων*. Ille sustentare pergat tristissimam viduam, liberosque orbatos, quos Pater sine ultimo Vale, nec tamen sine piïs precibus relinquere debuit, faxitque ut in illis nomen, spiritus, gloria defuncti Parentis quasi e clauso sepulchro resurgant in matris, in avi, in Academiae, in patriae, in ipsius Dei honorem!

Nullius moerentis filii lacrymae madefacient alterum tumulum, ad quem vos capite demisso conduco, cuique Henrici Christiani Millies clarissimum inscriptum est nomen. Nec tamen profecto minor tristitia animum implet, ubi reputamus, quantam iacturam non tantum nobilissima vidua, sed Academia et patria et vero Ecclesia fecerit deplorato Viri desideratissimi obitu. Van Rees et Millies, duo nomina morte coniuncta, plane diversa, nec tamen dispari laude ornanda! Ille recentiorem, hic antiquiorem huius

saeculi spiritum redolens; ille forte magis ad Optimismum, hic facile ad Pessimismum proclivis; ille Atticâ urbanitate, hic virtute fere Romanâ insignis. Cui nostrum non iterum Dies ille succurrit, quo eum hoc ipso loco ante biennium, ἀπόσταξει ictum, nec tamen profligatum vidimus omnes, miseratione simul et admiratione correpti? Profecto, si Boumannum nostrum non iniuriâ cum Vespasiano comparaveritis, Imperatore, quem stantem mori decebat, haud inepte forte Millies virilis quisdam Arria nominari possit, quae iam semimoribunda tragicum illud: »Paete, non dolet!" baltutiit. Nemini saltem mirum hoc accidet, me hos duumviros, Boumannum scilicet et Milliem, quasi uno tenore laudare, secum reputanti, illos non tantum quod ad domum, sed etiam quod ad ingenium sibi invicem proximos atque vicinos fuisse; utrosque corpore debiles, spiritu vero fortes, polyhistores, ut et inter doctiores perpauci, adeoque amicitiâ iunctos, ut haud raro post creberrimas atque diuturnas collocutiones in sinceram raperentur mutuae eruditionis admirationem. Quid mirum, ipsas Musas lugere, ubi talis exstincta est Lux!

Henricus Christianus Millies, Haganus, die 15° mensis Octobris anno saeculi decimo natus, atque imprimis praeclarâ maternâ institutione formatus, in Seminario Ecclesiae Evangelico-Lutheranae Amstelodamensi ad munus sacrum in hac societate Christianâ obeundum se praeparavit. Postquam per breve tempus Leidae quoque studiis operam navasset, anno saeculi tricesimo septimo sibi »carissimum praeconis Euangelii munus" suscepit, illoque per decem annos primum apud Culenborgenses, deinceps Harlemi, tandem hîc Traiecti ita functus est Vir venerandus, ut post tot annos hi coetus dilectissimi Euangelii ministri mortem non sine summo dolore perceperint. Ipse memini, quoties iuventutis meae amicum, Abrahamum des Amorie v. d. Hoeven, Iuniorem, Remonstrantium coetûs tunc temporis praeclarum pastorem, hunc collegam Lutheranum ita laudantem audiverim, ut eum multis aliis ingenue ille praeferret. Neque suo coetui tantum pie vivebat, sed omnia, quae ad propagationem Religionis Christianae, et in coloniis nostris, atque ad versionem S. S. in linguis Orientalibus pertinebant, tanto est prosecutus ardore, ut et tunc et postea de patriis Societatibus, utrisque inservientibus, optime profecto meritus sit. Ipse labori practico et pastorali non minus quam studiis lin-

guarum incumbens, haud ita facile fortasse Ecclesiae valedixisset, nisi et corporis infirmitas ei suasisset, suggestum sacrum cum cathedrâ Theologicâ Amstelodamensi mutare, ei post Pluschkii mortem oblatâ. Quantopere vero hic transitus erudito mundo placuerit, haud obscure ei significaverunt Academia Lugduno-Batava et Rheno-Traiectina, fere eodem tempore Millium honoris causâ Theologiae Doctorem creantes, quidque doctissimo huic praeceptori debuerint, uno ore omnes eius Auditores Amstelodamenses testantur. Post novem annos huc, Groenewoudii loco vocatus ad litteras Orientales docendas, per duodecennium fere illustravit Academiam nostram. Multum ei institutio, permultum et Bibliotheca Academica debuit. Facultatis Litterarum Humaniorum et Philosophiae Theoreticae eximium decus, non minus Theologicae profuit, inprimis postquam Boumanni, rude donati, pensum, quod ad V. T. attinet, plane in se susceperat, cuius studia Isagogica, Exegetica, Critica eximio modo regere ad mortem usque haud desiït. Si quid in litteris et antiquitatibus Hebraïcis valent theologi Traiectinenses; si quid in nimis neglecto studio dialectorum; si quâ sunt V. T. ita interpretandi peritiâ, ut sanctissima fides non labefiat, sed apud ipsos et alios corroboretur, clar. Millies id ita debent, ut certe nemini magis. Scilicet non eximius Orientalista solummodo, sed et solidus Theologus erat, non minus quam pius Christi sectator: nisi in posterum fortasse Theologi titulus denegetur omnibus, qui Supranaturalismi principiis firmiter se adstrictos ostendant. Aeterno fundamento Ecclesiae Christianae et Evangelicae et ipse superstructus erat, et alios firmare nonquam non studuit; quo vero spiritu ductus id potissimum fecerit, omnibus innotescere potuit e tribus Orationibus latinis, inprimis ex oratione Rectoris, pro parte tantum habitâ, de Monotheismo Israelitarum, divinae patefactionis testimonio, in quo ultimo scientiae atque conscientiae publico documento Naturalismi commenta de industriâ oppugnavit, et alacriter patefactam veritatem defendit. Crisin ergo, quamvis subtilem et acutam, quae plane aprioristicâ negatione τοῦ Supranaturalis regebatur, non magni facere potuit, quamvis ipsam Criticen amaret, et discipulis commendaret, quibus dissensum suum a multis hodierni Criticismi effatis subinde haud obscure significabat. Quidni fecit, quod eum saepius supplices rogarunt amici, ut scilicet sententiam suam de rebus gravissimis,

ad V. T. pertinentibus, publice etiam enunciaret? At profecto, si quid, post ipsum decessum, in Viro tam eminenti dolemus, est quidem omnium maxime id, quod ille, aliorum tam parcus laudator, ipse tam pauca scripta reliquerit, ut posteritas, vereor, stupendam hanc doctrinae de rebus diversissimis copiam, quam nos toties admirabundi suspeximus, ex re et vero aestimare vix possit. Agnoverunt eam nobiscum doctissimi exteri, quorum familiaritatem contraxerat itineribus, in studiorum commodum iterum iterumque susceptis. Quo magis in medio luctu gaudendum, Viri clarissimi opus Numismaticum posthumum, cuius primas paginas ipse adhuc prelo mandaverat, peritae manûs curâ in publicum mox proditurum. Utinam et alii laboris improbi fructus, inprimis de Historiâ Ecclesiae Christianae in Archipelago Indico, cui tot temporis viriumque dicavit, pro parte saltem publici iuris fieri possent! Quidquid autem de his aliisque eius scriptis posteritas iudicet, nobis aequalibus Defuncti memoria intaminato fulget honore. Erat enim Millies vir non tantum doctus, sed bonus, sincerus, sibi constans, qui illud „aequam rebus in arduis servare mentem" in scholâ, non Stoicorum, sed ipsius Christi didicerat. Inerat ei solertis mentis acumen, igneus animi vigor, incredibilis perseverantia, profunda pietas, anxia fere conscientiae et apud alios cura. Ita, quamvis omnibus prodesse pro viribus studens, omnibus placere nec potuit ille, nec voluit, haud dissimilis illis Indicis fructibus, quorum dulcissimus nucleus duriore cortice abscondi solet; quicumque vero penitius eum cognoverant, atque didicerant non adeo visibilia, quam interna spectare, eum semper maioris fecerunt. Maximi eum iure fecit Ecclesia, Academia, docta, cui innotuit, Orbis, neque ex eius Annalibus obliterari patietur praestantissimi viri nomen et laudem!

De quonam nostrûm defuncto sequenti anno hoc die sermo erit? „Omnia sub leges mors vocat atra suas;" et huius anni historia hoc luculentissime docuit. Senes mori *debere*, fidus noster apparitor Hulleman exemplo suo probavit, optimus vir, qui octogenarius tandem illud inexorabile *Hora* audivit, quod tot centenis vivis vel iam defunctis repetierat ipse. Iuniores mori *posse*, vos nobiscum meministis, nobilissimi Iuvenes, e quorum numero haud minus quam septem lugemus Academiae nostrae alumnos, alii ad carceres, alii prope ad metam parentibus amicisque ereptos; aut

14

veluti fulminis ictu prostratos, aut lentissimâ tabe medio vitae flore consumtos, atque inter eos de quibus non tantum societas, sed et Ecclesia Christiana iure optima quaeque sperabat. Sunt, secundum temporis ordinem, Iuvenes ornatissimi Thomas Iohannes Heidanus, Iur. Stud. Gualtherus Helenus Römer, Iur. Stud. Gerardus Samuel Brantsma, Iur. Stud. Iohannes Fredericus Lodovicus Schroeder van der Kolk, Med. Cand. Arius Iacobus Leenheer, Theol. Stud. Adrianus Osti, Theol. Stud. Roelof Roelofs Blaauw, Phil. Nat. Stud. Sic omnium versatur urna, serius ocius sors exitura, neque publico luctui privatus et hac temporis periodo defuit. Quid singulorum Collegarum nomina recitem, qui sibi suisque carissima erepta videant capita, vario nomine pie atque triste colenda? Lugentium mens memor non meo auxilio indiget, neque ipsi defuncti, quos compellare possemus, ad nos redituri sunt. Sit illis terra levis, ac molliter ossa recubent; moerentibus vero adsit Numen supremum optimâ fidei speïque consolatione, ut de his caeterisque nunc deploratis illud „havete, piae animae, iterumque havete" nobiscum repetere possint, oculis non ad terram, sed ad ipsum coelum conversis!

Iam vero, Auditores, ut vultus nostros ad maiorem serenitatem componamus, suadet Prosperorum, quae nobis contigerunt, recordatio laeta. Haud paucis enim bonis amara temperata fuisse, lubenter agnoscimus. Parum abfuerat, quin et tertio Collegae parentandum habuissem [1]), sed hunc ex orci paene faucibus erepsit atque nobis suisque reddidit divina benignitas. Nobis omnibus annum saeculi sexagesimum octavum, ab haud paucis, nec iniuriâ, nescio quadam anxietate exspectatum et salutatum, ita ad finem perducere licuit, ut neque patriae, neque Europae pacem, quamvis quotidie fere labefactam, revera perturbatam viderimus. Alibi tristissimae seditionis vestigia; Traiectum nostrum etiamnunc saevis tranquillum in undis. Militum strepitu, quamvis aucto, nec semper amoeno, subinde forte ad silentium perductae sunt Musae, nec tamen unquam a

[1]) Clar. Halbertsma.

Marte fugatae. Aestas, ut paucae calescens, plures forte vidit itinerantes vel patulae recubantes sub tegmine fagi, quam quidem severioribus studiis deditos; mitis vero hiems, quae nos frigere vix fecit, nemini certe hoc in campo algoris dedit praetextum. Sine ullâ intermissione — tristes dies quos memoravimus si excipietis, laetosque, quos sumus memoraturi — studia procedere potuerunt, multifariis adiuta subsidiis, optimisque ducibus ducta.

Ad priora quod attinet, brevioribus nobis esse licebit. Bibliotheca Academica hoc anno circiter duo millibus et quingentis librorum voluminibus et MSS. aucta est, vel emptis, vel vicissim pro aliis, vel liberalibus donis acceptis. Inter hos imprimis grato animo commemorandum pretiosissimum opus, ad historiam politicam Belgii post annum saeculi tricesimum pertinens, quod munificentiae Viri amplissimi De Beaufort acceptum referimus. Gynaecologorum nostrorum cor gaudio exsultat novis thesauris, e Bibliothecâ Clar. Baert de la Faille nostrae collectioni comparatis. Hîc et illic spatium deësse iam coepit. A semper pluribus Bibliotheca visitatur, atque in studiorum emolumentum convertitur; quo magis optandum, aliquando Catalogum edi, hoc nomine ita dignum, ut thesaurus noster non amplius lente effodi debeat, sed se ipsorum semi-coecorum oculis monstret! Caeterum quod adhuc alibi superest spatium ita impleatur, imo iterum extendatur, ut a nemine tandem querelam audiamus: „quaesivi, nec tamen inveni." „Sine libris" — ita enim verissime Bartholinus — „Deus iam silet, Iustitia quiescit, torpet Medicina, Philosophia manca est, Litterae mutae, omnia tenebris involuta cymmeriis."

Museum Physicum, quamvis consilio suo in genere adaptatum, minus quam Bibliotheca locupletata est. Instrumentorum collectio parum tantum increscit, non sufficiente pecuniâ. Quo magis praedicanda liberalitas Viri Excellentissimi, cui rerum patriae interiorum mandata est cura, qui Museum novo apparatu ditavit, a Galvani nomen habente, atque secundum principium clar. Thomsen tempestivam fluxûs intensitatem augente. Externa conclavium conditio emendata est, quum novis niteant coloribus. — Laboratorio Zoötomico aptior paratus est locus, diu desideratus, quo exercitationibus practicis iam melior sese occasio offeret. Museum Zoölogicum hoc anno iterum multis speciminibus auctum est,

inter quae nova Collectio Fossilium e monte Sancti Petri, Mosa-Traiecto viciná, oriunda commemorari meretur. — Laboratorium chemicum, honorifice cognitum, hoc anno mansit quod fuit, neque de Observatorio Astronomico Directorem querentem audivimus. — Hortus Botanicus, Florae Indicae multis exemplaribus iterum ditatus, uti et Museum Botanicum, hoc anno meliore conditione versatus est, quam optimi Moderatoris corporea sanitas, quem iterum satis valere impense gaudemus.

Ad ipsorum autem clinicorum studiorum subsidia quod attinet, novum Nosocomium ita procedit, ut ex aequorum arbitrorum sententiâ, perfectum aedificium certe iamiam ab ipso Esculapio laudari audiremus, nisi forte laudantis vocem subinde propinquae viae ferratae strepitus obmutescere faceret. Ex quâ tamen propinquitate hoc lucri mox redundabit, ut eo facilius multi peregrini, iam saepius nobis annunciati, huc veniant, novum Hygieias palatium invisere cupientes, quibus antiquum stabulum iamdiu ostendi haud poterat. — Tunc certe et Laboratorium Physiologicum Tuum non invisitatum transibunt, clarissime Donders! Gaudio videbunt recentem exstructionem Tuis desideriis satisfacere, et praeclarae Tuae institutioni e votis inservire. Si autem observent, Instrumentario nonnulla adhuc deësse, mox a Te audient: „non omnia simul." Quibus visis et auditis Te non sine gratulatione deserent, et propter hoc elegantissimum studiorum tuorum tabernaculum, et ob Nosocomium Ophtalmologicum tuum, cui vix aliquid deësse videtur. — Nec minori gaudio à Te audient, clar. Koster, Museum Anatomicum ita sese habere, ut iis, quae institutio Anatomica postulet, ab omni parte conveniat; si Te autem de supellectilis Pathologicae conditione hodiernâ minus contentum videant, certe Te consolabuntur, tuos oculos dirigentes ad futurum Nosocomium, ubi illi ambulationem per Traiectum nostrum incipient, neque Te dissentientem habebunt. Clarissimum certe Halbertsma, novâ, ut speramus, virium alacritate ad quotidianum pensum reversum, non querentem invenient de instrumentorum defectu, Obstetriciae inservientium arti. Ad Chirurgicas operationes quod attinet, et hoc anno collectio ita aucta est, ut subinde cadavera, nunquam vero cultri deëssent.

Ipsum Academiae aedificium nequaquam externo splendere nitore, non exteri tantum, sed Nostrates diu sciverunt. Eo magis Rectoris felicitas praedicanda, cuius sub pacifico regno externa restauratio aedium, nunc ad Academiam pertinentium, faustis est inchoata auspiciis, quin et legitima spes excitata, Senaculum nostrum non tantum restauratum, sed et amplificatum iri, imo ipsum hoc Auditorium non semper hiberno tempore tanquam Frigidarium effugiendum fore. Quae omnia aliaque bona nobis e Vestrâ prudentiâ et liberalitate affluxerunt, Academiae Curatores, Viri amplissimi, quos hîc praesentes adesse, quatenus non iustis causis impediti estis, iure gaudemus; Te praeside, nobilissime Van Rappard, quem senectutis coronam ita adhuc ferre videmus, ut ornamentum potius videri possit, quam onus. Quidni eodem Nobilissimi titulo hîc primum compellare licet amplissimum De Beaufort, Eique collegarum nomine commune exprimere gaudium, quod optimus Rex eum — non Nobilem fecerit, hoc enim et potestatem regiam superat; sed — qualem omnes Illum intus exstare diu cognoscebant, Eum id revera esse hac etiam ratione publice declaraverit? Valetudinis vero causâ corpore abest Vir honoratissimus; mox, plane restitutâ sanitate, nobis aliisque ostendere pergat, novum honorem nil esse nisi virtutis umbram antiquae! Neque adhuc Viro consultissimo Ab Hoytema, qui Vestro collegio ab Actis est, hîc gratulari possum, quod restauratis viribus ad gravissimum munus redierit: utinam quiete et abstinentiâ tandem plane curetur, qui tam diu nostrarum rerum egregiam egerit curam! Viri vero spectatissimi infirmitatem dolentes, eo maioris Tuam aestimamus humanitatem, consultissime Römer, Tibique debitas solvimus gratias, quod non tantum Actuarii pensum per totum annum in Te suscepisti, sed egregiâ ratione Academiae commodis prospexisti. Perge, quod facis, muneri pro tempore in Te delato ita vacare, ut de tali Curatorum Amanuensi Pallas nostra non possit non quaeque sibi augurari prosperrima!

Inter laetissimos, qui Professoribus dies illuxerunt, si primum cl. Hartingii festum argenteum memoro, omnibus certe gratum facio. Omnes enim recordamur autumnalis illius diei, quo illum de Zoölogiae disciplinâ hoc ipso loco ita dicentem audivimus, ut nullum dubium restet, quin ipsius oratoris mens et ingenium adhuc in mediâ vitae aestate versentur.

Quod ad corpus, surditate molestâ posteriori tempore depressum scimus Collegam, eandemque ob causam eum et hodie abesse dolemus. Nunquam vero surdus fuit strenuus vir, quoties scientiae vox eum ad laborem vocaret, neque surdis fabulas narrasse censendus est, ubi discipulis per quinque lustra exstitit studiorum praestantissimus dux. Quanti eum faciant non illi tantum, sed amici et collegae ipso festo die Iubilanti verbis factisque probarunt. Quae ipse Senatûs Academici nomine gratulabundus ex animo dixi, hîc non repetere iuvat. Quidquid vero futuri caliginosâ nocte presserit Deus — Davus, non Dioscorides sum — hoc ex certo vaticinari licebit: Hartingio nostro laus sua honosque manebunt, quamdiu et illi et aliis Natura Dux manet et Auspex ad scientiam semper profundiorem, atque aeternum scientiae Fontem!

Haud minorem laetandi materiam concessit Dei benignitas clarissimo Doedes, cui praeterlapsâ aestate contigit medios inter discipulos, collegas, amicos memoriam renovare diei, quo ante quinque lustra ecclesiasticum intravit curriculum, et quam carus iis esset multifariâ ratione experiri. Quot quantaque in hac vitae Tuae periodo iam mutata vides, Vir coniunctissime! Mansit tamen Dei fides, favor, auxilium, quae in Ecclesiae atque Theologiae commodum et Tibi apprecamur, et optimo nostro Ter Haar, quem, nunc corporis infirmitate et animi sollicitudine depressum, sustineat Pater coelestis!

„Austriae Erit Imperari Orbi Universo." Ita, ratione habitâ quinque vocalium, antiquum proverbium, Austriacensibus prae caeteris placens. Alii vero easdem has vocales ita supplere Germanice solent, ut indicent Austriam esse omni honore repletam [1]), et equidem posteriorem interpretationem paene praetulerim, videns, Austriam subinde honores communicandos habere illarum regionum incolis etiam, quorum pecuniae minus generose prospexit. Clarissimum saltem Miquel ab Austriae Imperatore inter Equites Francisci Iosephi receptum esse, eo magis gaudemus, quia nemo dubitat, quin haec merces „nequaquam ex gratiâ, sed ex merito" fuerit data. — Utrum ad huius ordinis insignia etiam Stella pertineat, nescio. Hoc vero lubenter commemoro, novam ab alio Collegâ stellam

[1]) „Aller Ehre Ist Oestreich Voll."

detectam esse eamque splendidissimam, sine alicuius speculi ope, in Veneris vicinitate; Hoekii indico salutem, cui in vitae coelo lectissimae virginis amor tanquam stella apparuit, quae utinam diu Collegae aestumatissimo luceat! — Lucere iam haec stella incepit familiae Virorum clarr. Loncq et v. d. Lith, qui ipsi amicitiâ iuncti, nunc et prognatos suos amore et matrimonio iunctos vident; gaudium eo maioris faciendum, quia nullo separationis dolore permixtum fuit. Quis enim barbarus aegre hoc ferat, Lithii filium non tantum Loncqii filiam, sed etiam patrem patriamque tanto esse prosecutum amore, ut cathedram Lugdunensem itineri longo in Indiam orientalem praetulerit? Quod et in patriae atque scientiae emolumentum factum esse, ad unum omnes apprecamur ét Tibi, clar. v. d. Lith, ét absenti aegrotanti Collegae, ét novis Vestris maritis. — Talium paternorum gaudiorum initia Vobis quoque e recens natis pueris crescant, clar. Van Goudoever et Van Herwerden, qui, salvâ uxore, familiam Vestram iterum augeri vidistis, ut et Tibi, clar. Brill, qui mecum hoc anno primum expertus es, quidnam mysterium felicitatis in avi titulo lateat. Carissimis capitibus parcat Deus Optimus Maximus!

Ita hominum genera veniunt, florent, praetereunt; ita et Professorum ordines sese excipere solent. Clar. Ger. Ioh. Mulder, illustrissimus Chemiae Professor, sanitatis causâ rude donatus, cathedram, quam tam diu ornaverat, relinquere debuit. Hac Academiae, imo saeculi luce orbati, locum, ad tempus vacantem, ita rursus impletum videmus, ut non tantum Curatorum, sed et optimi Regis provida cura publicis celebranda sit laudibus. Illa enim non tantum cl. Van Kerckhoff, Groninganae Minervae decus, huc eventu exoptato vocavit, sed et cl. Ed. Mulder, huc usque Professoris titulo ornatum, ad extraördinarii Professoris munus evexit, ut ita non tantum coniuncto horum Virorum labore Chemica scientia apud nos eo magis floreret, sed etiam splendidissimum Mulderi nomen cum Traiecti gloriâ indivulso coniunctum nexu maneret. Doctis his Duumviris tempore iam anteïverat clarissimus Quack, desideratissimo nostro Ottoni van Rees successor e decreto Regio datus; ita autem anteïvit, ut de Eo, auditâ elegantissimâ oratione inaugurali, nemo non bona, quin magna quaeque exspectet. Quid, quod non ter tantum, sed quater hoc anno — quod nescio, an saepe evenerit — huc confluxerimus, ad novum introdu-

cendum Collegam, Te cogito, clar. De Iong, iam antea linguarum Turcicarum et Persicarum Leidensibus lux, nunc nobis ad totum Orientem, quin ad ipsum V. T. sanctuarium multorum, ut vehementer optamus, prudentissimus atque probatissimus dux. Quid, Collegae coniunctissimi, quid addam votis publicis et privatis, et alibi pro salute Vestrâ prolatis; et imprimis hilarissimo festo, quo Vos, Triumviri epulones, collegas amicosque ita excepistis, ut iucundius communis laboris initium nemo sibi proponere possit? Non quidem inter Socratica pocula, sed apud dapes, ad Lucullorum palatum compositas, Vobis ex animo fausta quaeque iam apprecati sumus. Eventu autem subinde talia vota non tantum coronari, sed superari etiam, Tu luculenter et ipse expertus es, et nobis probasti, clarissime De Iong. Felicitatem, quam Amicitia Tibi exoptaverat, Amor concessit, et mox Hymen perficiet, cuius fax, precamur, diutius ardeat quam incendium, quod nuper cubicula tua, vix occupata, devastare iam minabatur. Ardore nunquam extincto Tibi Collegisque contingat unitis viribus ad eundem scopum contendere. O vos ter, quaterque beati, si vita, hîc peracta, revera Symposion fit, a quo neque Amor neque Amicitia abest!

Num a nuper creatis Professoribus, ita cum senioribus iunctis, et in Academiam multum boni redundet? Ex haud exiguâ parte hoc a vobis etiam pendebit, ad quos postremo — nec tamen infimo — loco se mea convertit oratio, Commilitones exoptatissimi! Quid optimi duces efficient, quando strenui deficiunt milites? Vos autem magistris non defuturos esse, hoc iïs Vestro nomine eo facilius promittere possum, quia ipse hoc anno a vobis optima quaeque expertus sum. Neminem hîc publice reprehendendum habens, ab omnibus observantiae, a multis amicitiae documenta accepi; quin haud sine voluptate percepi, et in rebus vestris hoc anno nonnulla ita et mutata et emendata esse, ut meliorum quoque legitima excitata sit spes. Quid, quod Nosocomium Ophthalmologicum Vestram liberalitatem nuper ita expertum fuerit, dono ex aerario Vestro accepto, ut ipsius Dondersii oculi me incitare videantur ad publicam gratiarum actionem. Macti igitur hac Vestrâ virtute estote, atque omnia humaniora maiore semper concordiâ sectemini, optimi Iuvenes! Non nostra tantum, sed imprimis Vestra res agitur in magno certamine, de quo hodie me

Ius criminale docebit G. G. VREEDE, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Codicem Quaestionum criminalium explicabit G. G. VREEDE, die Iovis, hora XI, die Veneris, hora I, die Saturni, hora VIII.

Ius Pandectarum enarrabit B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, hora XI.

Historiam Iuris Romani tradet B. I. L. DE GEER, diebus Lunae et Veneris, hora I, die Iovis, hora X.

Institutiones Iustiniani interpretabitur B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Encyclopaediam Iuris exponet B. I. L. DE GEER, diebus Martis et Iovis, hora I, die Veneris, hora X.

Ius civile Nederlandicum docebit I. A. FRUIN, die Martis, hora XII, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX.

Ius mercatorium et *maritimum* exponet I. A. FRUIN, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora X.

Legem Iudiciorum privatorum explicabit I. A. FRUIN, die Martis, hora I, diebus Mercurii et Veneris, hora XII.

Exercitiis forensibus praeerit I. A. FRUIN, hora deinde indicanda.

Lectiones de *Oeconomia politica*, de *Statistica* et de *Historia Europae politica* post ferias indicabuntur.

Publicis disputandi exercitiis praeesse parati sunt Iuris Professores.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Logicam docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora II, ad librum suum, cui titulus: *het wezen der kennis*, iterum editum Amstelodami a bibliopola I. H. Gebhard, anno 1867.

Metaphysicam docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora I.

Historiam Philosophiae veteris explicabit C. G. OPZOOMER, horis auditoribus commodis.

Antiquitates Romanas exponet I. A. C. ROVERS, die Martis, hora X et I, diebus Mercurii et Iovis, hora X, die Veneris, hora IX.

Historiam Gentium enarrabit I. A. C. ROVERS, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XI, die Veneris, hora X.

Historiographiam veterem tradet I. A. C. ROVERS, hora auditoribus commoda.

Literas Hebraicas docebit H. C. MILLIES, tum Grammatica explicanda, tum parte I libri Samuelis legenda, die Martis, hora XII, die Iovis et Veneris, hora I.

Literarum Arabicarum initia tradet H. C. MILLIES, diebus Mercurii et Veneris, hora XII.

Antiquitates Israëlitarum explicabit H. C. MILLIES, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora IX.

Locos selectos Scriptorum Arabicorum, *Chaldaeorum* et *Syriacorum* cum provectioribus leget H. C MILLIES, die Mercurii, hora V.

Rationem Linguae Patriae et *Literarum Patriarum* tradet G. G. BRILL, die Lunae, hora I, die Martis, hora II, die et Saturni, hora XI.

Historiam Patriae enarrabit G. G. BRILL, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X.

Lectiones de Literis Graecis habebit H. VAN HERWERDEN, die Lunae, hora XII, die Mercurii, hora II, die Veneris, hora XI, interpretaturus *Lysiae orationes selectas* et *Sophoclis Philoctetem*.

Literas Latinas docebit H. VAN HERWERDEN, die Lunae, hora XI, die Mercurii, hora I, die Iovis, hora XII, legendo *Plauti Menaechmos* et *Horatii Epistolas*.

Antiquitates Graecas tradet *Scholasque paedagogicas* habebit H. VAN HERWERDEN, horis auditoribus commodis.

IN FACULTATE MEDICA.

Pharmacognosin et naturalem medicaminum historiam cum eorum virtutibus et usu docebit G. I. LONCQ, die Lunae, hora II, diebus Mercurii et Veneris, hora IX.

Pathologiam et *Therapiam specialem* tradet G. I. LONCQ, diebus Martis et Iovis, hora IX, die Veneris, hora VII vespertina.

Exercitationes clinicas in arte medica quotidie moderabitur G. I. LONCQ, hora XI, in Nosocomio Academico.

Policlinico medico praeerit G. I. LONCQ, alternis diebus.

Physiologiam docebit F. C. DONDERS, diebus Lunae, Martis, Iovis et Saturni, hora IX.

Experimentis et *indagationibus physiologicis* et *microscopicis* in Laboratorio physiologico quotidie praeerit F. C. DONDERS, una cum viro doct. TH. W. ENGELMANN.

Ophthalmologiam docebit et *exercitationes clinicas ophthalmologicas* una cum viro doct. H. SNELLEN, Nosocomii ophthalmologici medico, moderabitur F. C. DONDERS, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora II, Saturni, hora XI.

Anthropologiam tradet F. C. DONDERS, diebus Martis et Iovis post meridiem.

Theoriam artis chirurgicae tradet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora VIII.

Exercitationes policlinicas in arte chirurgica diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni, hora IX, *clinicas* quotidie moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, in Nosocomio Academico.

Operationibus chirurgicis, in cadavere instituendis, qualibet oblata occasione praeerit L. C. VAN GOUDOEVER.

Deligandi exercitationes moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, die Saturni, hora VIII.

Operandi methodos exponet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Martis et Iovis, hora VIII.

Anatomen tum *systematicam*, tum *topographicam* docebit G. KOSTER, diebus Lunae, Martis et Iovis, hora I, die Veneris, hora XI.

Pathologiam generalem docebit G. KOSTER, die Lunae et Veneris, hora X, die Mercurii, hora X et XI.

Medicinam politicam et *forensem* exponet G. KOSTER, diebus Martis et Iovis, hora II.

Exercitationes anatomicas practicas moderabitur G. KOSTER, quotidie hiberno tempore.

Sectionibus cadaverum praeerit G. KOSTER, qualibet oblata occasione.

Gynaecologiam exponet et *exercitationes policlinicas in gynaecologia* moderabitur T. HALBERTSMA, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora I.

Doctrinam operationum tradet et *operationibus obstetriciis in pelvi factitia* praeerit T. HALBERTSMA, die Veneris, hora I.

Praxin obstetriciam in Nosocomio academiae et *in policlinico obstetricio* moderabitur T. HALBERTSMA.

Artem diagnosticam physicam tradet P. Q. BRONDGEEST, Medicinae Lector, diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora VI dimidiata.

Artis diagnosticae propaedeutica exponet P. Q. BRONDGEEST, diebus Mercurii et Veneris, hora I.

I. P. T. VAN DER LITH, in Nosocomio psychiatrico medicus primarius, Professoris titulo ornatus, exercitationes clinicas psychiatricas moderabitur horis postea indicandis.

Histologiam exponet TH. W. ENGELMANN, in Laboratorio physiologico adiutor, die Martis, hora XI, die Iovis, hora X.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

R. VAN REES, rude donatus, privatim tamen civium academicorum studia adiuvare, quantum poterit, paratus erit.

Lectiones *Chemicae* postea indicabuntur.

Zoologiam exponet P. HARTING, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora XI, die Martis, hora X, alumnis Scholae medicae militaris, diebus Lunae et Mercurii, hora X, die Veneris, hora XI, die Saturni, hora XII.

Anatomiam, *Physiologiam* et *Histologiam comparatam* tradet P. HARTING, diebus Martis et Iovis, hora II.

Exercitationibus zootomicis et *microscopicis* quotidie praeerit P. HARTING.

Physicam experimentalem tradet C. H. D. BUIJS BALLOT, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora I.

Experimentis instituendis et *exercitiis* praeerit C. H. D. BUIJS BALLOT, die Mercurii et aliis diebus postea indicandis.

Mechanicae analyticae explicandae vacabit C. H. D. BUIJS BALLOT, die Martis, hora vespertina.

Geometriam analyticam docebit C. H. D. BUIJS BALLOT, diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni, hora IX.

Meteorologiam et *Magnetismum terrestrem* exponet C. H. D. BUIJS BALLOT, diebus Iovis et Veneris, hora III.

Elementa matheseos docebit M. HOEK, diebus Lunae et Saturni, hora IX, diebus Mercurii et Iovis, hora VIII.

Astronomiam popularem exponet M. HOEK, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX.

Astronomiam theoreticam tradet M. HOEK, diebus Mercurii et Iovis, hora X.

Astronomiam practicam tradet M. HOEK, die Veneris, hora X et XI.

Artis observandi exercitiis quotidie praeerit M. HOEK.

Botanicam generalem et *Physiologiam plantarum* docebit F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora X, die Martis, hora XI.

Florae Indiae batavae capita selecta exponere paratus est F. A. G. MIQUEL.

Plantas officinales et venenatas exponet F. A. G. MIQUEL, diebus Martis et Mercurii, hora III.

Geologiam tradet F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Mercurii, hora II.

Mineralogiae primas lineas exponet F. A. G. MIQUEL, die Lunae, hora III.

Physicam mathematicam tradet C. H. C. GRINWIS, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora XI.

Elementa matheseos docebit C. H. C. GRINWIS, diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora VIII.

Stereometriam et Trigonometriam sphaericam docebit C. H. C. GRINWIS post ferias hiemales, horis dein indicandis.

Calculum differentialem tradet C. H. C. GRINWIS, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora X.

Calculum integralem tradet C. H. C. GRINWIS, diebus Martis et Iovis, hora XI, die Veneris, hora X.

I. S. ROBINSON, Literarum Anglicarum Lector, diebus et horis postea indicandis, *Shaksperii selecta* interpretabitur *opera*, et *Literarum Anglicarum* exponet *historiam*, imprimis XVI saeculi.

I. H. HISGEN, Literarum Germanicarum Lector, diebus et horis postea ndicandis, *selecta quaedam principum scriptorum opera* interpretabitur, *Literarum Germanicarum historiam*, imprimis inde a saeculo XVIII exponet.

M. A. E. ROBERTI, Literarum Francicarum Lector, *praecipuorum scriptorum saeculi XVII selecta opera* enarrabit, *Literarum Francicarum historiam* saeculorum XVII et XVIII tractabit, diebus et horis postea indicandis.

Bibliotheca Academica diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni ab hora XI ad IV, feriarum autem tempore iisdem diebus ab hora I ad III unicuique patebit. Museum zoologicum, anatomicum, mineralogicum et botanicum, nec non Hortus Academicus quotidie patebunt.

NUMERUS STUDIOSORUM
IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,
DIE XXXI M. DECEMBRIS A. CIƆIƆCCCLXVIII.

In	Facultate	Theologica	170.
〃	〃	Iuridica	156.
〃	〃	Mathes. et Phil. Natur.	63.
〃	〃	Phil. Theor. et Lit. Hum.	22.
〃	〃	Medica	78.
			489.

Praeterea in Album Academicum nomina studiosorum in Athenaeis studiis operam navantium relata sunt, eo consilio, ut hic publice progressus probent et Doctores creentur, quorum

In	Facultate	Theologica	5.
〃	〃	Iuridica	4.
〃	〃	Mathes. et Phil. Natur.	—
〃	〃	Phil. Theor. et Lit. Hum.	1.
〃	〃	Medica	2.
			12.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

A. D. XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXVIII AD D. XIX M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXIX.

IN FACULTATE IURIDICA.

D. 30 Martii. PETRUS DWARS, Rheno-Traiectinus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 1 Aprilis. ARENTIUS HENRICUS VAN TIENHOVEN, e pago de Werken, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 3 Aprilis. PAULUS CORNELIUS DIDERICUS LEDEBOER, Roterodamensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. ARNOLDUS ADRIANUS VAN DER MERSEK, Amstelodamensis, publice defenso specimine, quod inscribitur: *De scheepsraad*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 23 Maii. GUILIELMUS HENRICUS DE BEAUFORT, Rheno-Traiectinus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 2 Iunii. IOHANNES GREGORIUS VOGEL, Roterodamensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *De risico bij den genuskoop*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 5 Iunii. LEONARDUS ABRAHAMUS VAN YSSELSTEIN, Medioburgensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. PETRUS DIDERICUS KLEY, ex pago Nieuwerkerk, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 12 Iunii. GUILIELMUS HENRICUS DE BEAUFORT, ex pago Leusden, publice defenso specimine, cui titulus: *De verhouding van den staat tegenover de kerkgenootschappen in de republiek der Vereenigde Nederlanden*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 15 Iunii. IANUS KLAASESZ. DE BOER, ex pago Holwert, privatim defenso specimine, cui titulus: *Bijdrage tot de geschiedenis der dijkpligtigheid in Friesland*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 16 Iunii. CONRADUS STEMBERG, Roterodamensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 23 Iunii. IOHANNES CORNELIUS MARIUS VAN RIEMSDIJK, Mosa-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *De beperkte rechtsbevoegdheid van den gefailleerde*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 24 Iunii. ROBERTUS MELVIL VAN LYNDEN, Amstelodamensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 26 Iunii. FREDERICUS IUSTUS IOHANNES LUDOVICUS DE VEER, ex urbe Batavia, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. DIDERICUS BEETS, ex pago Heemstede, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. BALDUINUS REINT WOLTERUS ARENTIUS SLOET VAN HAGENSDORP, ex pago Twello, publice defenso specimine, quod inscriptum: *De rechten der vrouw bij faillissement van den man*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 27 Iunii. GODEFRIDUS ROYAARDS, Rheno-Traiectinus, publice defenso specimine, cui titulns: *Iets over erfstelling door overeenkomst naar aanleiding van art. 224 en vgl. van het B. W.*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. PAULLUS IANUS HOOFT GRAAFLAND, Delfensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. PETRUS IACOBUS SNEL, ex pago Stolwijk, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 27 Octobris. IOHANNES FRANCISCUS SCHUURBEQUE BOEYE, Medioburgensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. REINHARDUS VAN HARINXMA THOE SLOOTEN, e pago Beetsterzwaag, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 28 Octobris. GUILIELMUS CAROLUS UYTTENBOOGAARD, ex pago Loenen, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 27 Novembris. FREDERICUS CAROLUS BOSCH, Rheno-Traiectinus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 18 Decembris. GUILIELMUS HENRICUS IKMAN VAN BURK, Noviomagensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. IANUS IACOBUS EDUARDUS GEELEN, Rheno-Traiectinus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 22 Decembris. ADRIANUS TELDERS, Silvaducensis, privatim defenso specimine, quod inscribitur: *Bijdrage tot eene geschiedenis van het bezit in de doode hand*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 26 Februarii. BONIFACIUS MARINUS DE IONGE VAN ELLEMEET, ex pago Oost-Kapelle, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 17 Martii. FRANCISCUS HENRICUS DE VEIJE, e pago Maas-Bommel, privatim defenso specimine, cui titulus: *Bijdrage tot de leer der inkomsten-belasting*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. GUILIELMUS GEORGIUS FREDERICUS ADRIANUS VAN SORGEN, e pago Zuylen, privatim defenso specimine, cui titulus: *De akten van beschuldiging en dagvaardingen in strafzaken*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

D. 4 Iulii. OTTO IOHANNES ADRIANUS DE HAART, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *De verhouding van amylum en dextrine tegenover chemische agentia*, Math. Magister Phil. Nat. Doctor.

D. 3 Martii. GERARDUS IANUS HOFS, e pago Dieren, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over kromme lijnen, die uit de pool-vergelijking der kegelsneden worden afgeleid*, Math. Magister Phil. Nat. Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D. 24 Octobris. IACOBUS GERARDUS DE VOS, Arnhemiensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *De Sycophantis*, Phil. Theor. Magister Litt. Hum. Doctor, *cum laude*.

IN FACULTATE MEDICA.

D. 29 Maii. DAVIDES ADRIANUS VAN DER WEIDE, Doccumensis, privatim defensis thesibus, Art. Obstr. Doctor.

D. 13 Iunii. IOHANNES IACOBUS GERARDUS MARTINUS VAN DIEREN, ex oppido Grave, privatim defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *magna cum laude*.

D. 16 Iunii. NICOLAUS IANUS AGATHO CHRISTIANUS STEMBERG, Roterodamensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over gezichtstoornis tijdens de zwangerschap*, Medicinae Doctor, *magna cum laude*.

D. 19 Iunii. ADRIANUS TERNÉ VAN DER HEUL, e pago Zelhem, privatim defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *cum laude*.

D. 1 Iulii. CORNELIUS IOHANNES VAN DUYL, e pago Nieuwland, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over anaesthesie en haren invloed op afscheiding en voeding*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

D. 2 Iulii. IACOBUS BROEKSMIT, e pago Zwijndrecht, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over de zoogenaamde kunstmatige voeding van kinderen in het eerste levensjaar*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

D. 4 Iulii. ADRIANUS IOHANNES GUILIELMUS MONNIK, e pago Polsbroek, privatim defenso specimine, cui titulus: *Tonometers en tonometrie*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

Eodem die. CORNELIUS CAROLUS OOMS, Roterodamensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *Iets over den anus praeternaturalis, en zijne behandeling*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

Eodem die. IOHANNES HENRICUS FASMER PRAHL, Berga-Norvegus, privatim defenso specimine, cui titulus: *De invloed der zwervende zenuw op de hartsbeweging*, Medicinae Doctor, *magna cum laude*.

D. 18 Septembris. PETRUS PEEL, ex oppido Kuinre, privatim defensis thesibus, Art. Obstr. Doctor, *cum laude*.

D. 25 Septembris. GUILIELMUS DE KONING MUNTING, e pago Putten, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over de histiogenese van den kanker*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

D. 13 Octobris. FREDERICUS CAROLUS ALEXANDER ROMBACH, ex oppido Hellevoetsluis, Med. et Chir. Doctor, privatim defensis thesibus, Art. Obstr. Doctor, *cum laude*.

D. 2 Novembris. MARCUS IUDA, ex urbe Paramaribo, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 17 Novembris. ADRIANUS IOHANNES GUILIELMUS MONNIK, ex pago Polsbroek, privatim defensis thesibus, Art. Obstr. Doctor, *cum laude*.

D. 21 Decembris. PETRUS PEEL, ex pago Kuinre, Med. et Obstr. Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

D. 22 Decembris. GUILIELMUS RIVE, Amstelodamensis, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

D. 1 Martii. MARINUS GUILIELMUS CLEMENS GORI, Amstelodamensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *Eene bijdrage voor nieuwere hospitaal-hygiène*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

D. 3 Martii. HERMANNUS IACOBUS IACOBSON, Amstelodamensis, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

D. 18 Martii. MARIUS IANUS BOUVIN, e pago Oosterland, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over den bouw en de beweging der ureteres*, Medicinae Doctor, *magna cum laude*.

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

INDE A D. VIII OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXVIII AD D. XIV OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXIX

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

GUILIELMUS HECKER.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

GUILIELMUS MUURLING.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. I. P. VALETON.
G. HECKER.
C. M. FRANCKEN.
B. H. C. K. VAN DER WIJCK.
H. E. MOLTZER.

IN FACULTATE IURIDICA.

I. H. PHILIPSE, rude donatus.
B. I. GRATAMA.
G. DIEPHUIS.
B. D. H. TELLEGEN.
W. MODDERMAN.

IN FACULTATE MEDICA.

F. Z. ERMERINS.
I. H. IANSEN.
I. VAN DEEN.
S. S. ROSENSTEIN.
G. M. H. SÄNGER.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

H. C. VAN HALL.
I. G. ERMERINS, rude donatus. (Defunctus d. 2 Martii a. 1869.)
G. A. ENSCHEDÉ.
P. I. VAN KERCKHOFF. (Traiectum profectus m. Octobri a. 1868.)
M. SALVERDA.
R. A. MEES.
R. S. TJADEN MODDERMAN.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT.
G. MUURLING.
E. I. DIEST LORGION.

ORATIO,

QUAM

DIE XIV MENSIS OCTOBRIS ANNO CIƆIƆCCCLXIX

HABUIT

GUILIELMUS HECKER,

QUUM IN ACADEMIA GRONINGANA RECTORIS MUNUS DEPONERET.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, PROFESSORES, CIVES!
CUIUSCUNQUE ORDINIS ET LOCI AUDITORES SPECTATISSIMI!

„Nihil hoc anno dignum memoria actum.” Hisce romanorum annalistarum verbis non multum abest quin orationem exordiar, qua, magistratu decedens, Academiae fata, lege iubente, enarraturus sum. Quodsi verum est, quod Montesquevius sibi contendere posse videbatur, illorum temporum felicitatem summopere praedicandam esse, quorum historia exilis et ieiuna sit, certo certius praeterlapsus hic annus felicissimis annumerandus est. Attamen dira cogit necessitas verba facere, etiamsi facta desint. Mihi saltem circumspicienti tam pauca et tam exigua occurrerunt, ut incertus haeream, unde particulis desectis dicendi materiem in huius diei solennitate haud prorsus contemnendam corradam. Sunt quidem, in eadem conditione versantes, quos hodierni latinae linguae usus nondum satis taedet; vulgo hi argumenti lege imperati sterilitatem praevia oratione, rerum et verborum luminibus distincta, compensare student, appendicis loco fatorum recensionem in ultimam officii partem, tanquam in extremam aciem reicientes. Sed quandoquidem mihi, latinarum literarum, si quis alius, amantissimo, nihil nostra aetate tam importunum, tam intempestivum, homine libero tam indignum videtur, quam ultro ac sua sponte latine loqui aut scribere, dum patrius sermo supersit; ne miremini, A. H.! me neque amore neque more perduci potuisse, ut hoc periculum facerem. Multo magis eorum placet ratio, qui, postquam strictis legis verbis satisfecerunt, oratiunculam belgice conscriptam tanquam secundam mensam apponunt. Quorum exemplum, quantum per vires licet, imitaturus sum. Sed ne videar velle partium quas ago tenuitatem verborum ambagibus obtexere, ad propositum opus, ne dicam impositum onus, me accingo.

Ab ipsa Academia principium! Ante omnia id commemorandum eam extare et vivere; at vix tamen vivit et extat, si nempe studiosorum causa extare putanda est. Eorum numerus, sensim sensimque imminutus, superiore anno ad tristem redactus est paucitatem. Quid cras futurum sit, ex mente poëtae fugiamus quaerere; omnium vota certe in eo conspirant, ut non sine emergendi spe luctetur alma Mater. Donec vero se tam ambigue res habet, uti nunc se habere nemo negabit, non modo Academia detrimentum capit et tabe confici videtur, verum etiam professores, discipulis carentes, honorariis destituuntur, iustis laborum emolumentis, necessariis vitae instrumentis. Quo fonte derivata sit illa clades neminem latet. Omnes enim probe sciunt, quam inique, quam indecore, quam sordide comparatum sit legis institutum, quo annui professorum reditus magnam partem ad normam exiguntur vulgaris quaestus mercenarii aut tabernarii, vel ut graece dicam *βαναύσου*. Pendent enim ex numero eorum, qui quotannis novitiorum titulo ad audiendas lectiones nomina profitentur. Quot capita, tot nummi! In studiosorum *frequentia*, credo equidem, talia, quamvis intolerabilia, fortasse tolerari possunt; quid vero contra in *defectu?* Si non ipse es, fortunae benignitate,

dives opum, dives pictai vestis et auri,

quo tandem modo externae dignitatis, quae professorio muneri inhaeret, postulatis satisfacies? quo modo librorum tibi suppetet usus? et in librorum penuria, quo modo continuos scientiae profectus e vestigio sequi poteris? Minore in scholis auditorum quam tabularum numero, nonne languor subinde ac torpor, perniciosissima in docendo pestis, membra imo mentem obrepit? Quid aliis accidat nescio, sed mihi talia accidere non diffiteor. Et quis in vitium vertere ausit? Attamen non tantum de dignitate publice tuenda, de librorum supellectile paranda, de munere recte riteque obeundo agitur, sed vero etiam de re familiari, ut decet, procuranda et sustentanda, de liberis honeste educandis et instituendis. En hoc est celebratissimum illud, honoratissimum, aliquando exoptatissimum munus, quo ex omnium cultiorum opinione in suo genere nil maius nec quicquam simile aut secundum ferebatur! Nisi forte sint, qui contendant sincerae et augustae doctrinae pro sua sublimitate et quasi divinitate nihil esse cum vilibus nummulis commune.

Siquis vero (quod haud crediderim) ex pluribus quam ex re per se satis aperta cognoscere velit, quo iure quave iniuria, quam vera aut vana loquar, illi audire sufficiat Lulofsium, virum praestantissimum, Groninganae Academiae, dum vivebat, lumen, eadem hac solennitate ante triginta annos, florentibus etiamtum rebus nostris et ceteroquin multo benignioribus temporum rationibus, non minus aperte pravam et parcam professorum remunerationem cavillatum esse.

At eo meliora pollicetur nova lex, quae de institutione academica iam aliquamdiu rogata est. — Pollicetur sane, sed quando, di boni, fidem praestabit? A lege rogata ad legem perlatam quantum distat! Neque alia fere lex tot casibus ac rerum discriminibus subiacet, ita ut de eius sorte nil certo sciri possit et cuique dubium eventum reputanti in mentem veniat saxi istius, quod

Sisyphu' versat
.... sudans nitendo neque proficit hilum.

Sed diutius hanc cantilenam canere cui bono? Piget etiam muliebriter lamentando tempus et operam conterere in re, quae a festo die prorsus aliena debebat esse.

De causis autem, quibus effectum sit ut ruerit alto a culmine Academia nostra, fusius disserere neque huius loci videtur neque satis compertum habeo. Quod vero et huius loci et satis compertum est, silere nequeo, longe alium rerum statum ab unoquoque expectatum iri, qui animum advertat ad curam et sollicitudinem, qua Academiae curatores et professores studiorum et studiosae iuventutis commodis promovendis inserviant: Hae sint opes, haec auxilia, quibus nostra spes et fiducia stet!

Eo impensius laetor et curatores et professores ad unum omnes corpore et animo valere et vigere eoque intentius exopto ut diu valeant vigeantque. Sunt tamen, quibus, ut est humanarum rerum fragilitas, carissimorum capitum flebili morte gravia vulnera inflicta sunt. Est qui matrem, est qui patrem, sunt qui filium, est qui filiolam, est qui uxorem amissam luget et quid parentum nomine sanctius, quid liberorum antiquius, quid uxoris dulcius? Solatium, quo indigent, ne desit, haec Dei sine numine non evenisse mente animoque secum reputantibus!

Interea tibi moerenti, Francisce Zacharia Ermerins, nuper grata lux affulsit,

quae muneris in hac Academia per viginti quinque annos egregie expleti illibatam afferebat recordationem. Diu nobis intersis, qualem te novimus: *ἀνὴρ ἀγαθός, νόῳ τετράγωνος, ἄνευ ψόγου τετυγμένος.*

Quod et tibi dictum sit, Petre Hofstede de Groot, qui mense Maio quadragesimum professoratus anniversarium celebrasti. Rara haec tua felicitas; rara quoque Academiae, quae talem se protulisse alumnum, tali se usam esse doctore gloriatur.

Ex professorum autem numero duo sunt, quos frustra hic oculis animisque quaeri merito dolemus: Ianus Guilielmus Ermerins, Petrus Ioannes van Kerckhoff.

Ermerinsio non diu contigit otio cum dignitate frui. Longiorem vitam quis non medullitus ei optavisset? Nullis senectutis laborabat vitiis et incommodis. Homines amabat, ab hominibus amabatur. Vitae bene actae conscientia mentem et vultum exhilarabat. Ab omnibus, qui eum in variis vitae vicissitudinibus et necessitudinibus penitus cognitum perspectumque habebant, bonorum optimus praedicatur. Indole ac lingua alacer erat et affabilis, muneris officiis par semper paratusque. Institutione potius quam scriptis, quae perpauca reliquit, laudem quaerebat; in discipulorum animis habitare quam per eruditorum ora volitare malebat. De viri meritis quominus pluribus edisseram, ratio prohibet sufficiens; etenim ultra posse nemo obligatur; *ἀγεωμέτρητος* ego sum et in aeternum ero; quidni ingenue fatear? Ingenium meum, studia mea me semper toto coelo a disciplina mathematica cum inextricabili sua numerorum, calculorum, formularum, figurarum labyrintho remotum tenuerunt. Si reliquam quoque Ermerinsii vitam, quatenus huc pertinet, leviter tantummodo perstringam, id hanc ob causam pace vestra, A. H.! mihi licere existimavi, quod brevi amicorum per longam annorum seriem integerrimus, collega aestumatissimus Philipse, piam defuncti memoriam peculiari scriptione recolens, omnium desideriis, ut solet, satisfacturus est. Paucula igitur decerpo.

Ziriceae natus est noster anno 1798 parentibus honestissimis, a quibus artium doctrinarumque studiis haud infelici augurio mature destinabatur. Postquam in urbe natali literarum rudimenta posuit, Lugdunum Batavorum profectus est, medicinae operam daturus. Neque tamen mathesin et physicen neglexit, quarum a prima inde adolescentia insigni flagrabat amore.

In has disciplinas incumbens, ab initio spem fecit se talem fore, qualem provectiori aetate se praestitit. Aliorum testimoniorum vice fungatur, quod in certamine literario duobus subsequentibus annis victoriam reportavit commentationibus, una argumenti physici, altera chemici. Singulari quoque in eo usus est fortunae gratia, quod solito citius studiorum bene institutorum fructus reapse percipere ei contigit. Vix enim anno 1824 summos in facultate medica et disciplinarum mathematico-physicarum honores assecutus, iam professor ordinarius in Athenaeum Franequeranum vocabatur. Ibi, ut ferebat illorum temporum consuetudo et opinio, quasi omnia possimus omnes, matheseos, physices, astronomiae, logices et metaphysices institutio ei committebatur. Tam operosam molem iuvenis inexpertis viribus quî suscepisset, quî sustinuisset, ne probabili quidem instrumentorum apparatu adiutus, nisi perpetuo illud animo obversatum esset: leve fit quod bene fertur onus? Per decem fere annos tanta laboravit Charybdi. Sanus et salvus ex gurgite prodiit, Groningam profecturus, ubi eum in facultate disciplinarum mathematicarum et physicarum angustior et placidior manebat statio, quam honorifice usque ad septuagenariam tenuit aetatem. Interim anno 1845 ei cathedra, quae Lugduni Batavorum vacabat, oblata erat; cui vocationi tamen satius duxit non obtemperare; unde cognoscitur Ermerinsii merita alibi suo pretio aestimata esse, ut et ipse facto ostendit se urbem et Academiam nostram singulari amore amplecti. Hoc consilio, cuius nunquam eum poenituit, collegis et discipulis perquam gratum fecit.

Aliter visum Kerckhofio, qui ab Academia Ultraiectina nolentem volentem veluti manus iniectione se nobis eripi passus est, magnum sui desiderium relinquens. Licet in omnium votis esset fore ut noster maneret, non minus tamen tu, qui ei successor datus es, vir clarissime Tjaden Modderman, nobis acceptus fuisti, quod affatim, opinor, expertus es et diu, spero, experieris.

Una fere cum Kerckhofio vir doctissimus Boeke, qui in laboratorio chemico ei adiutor per complures annos fuerat, hinc profectus est, ut alibi haud absimile docendi munus obiret. In eius locum designatus est ornatissimus Kappers, in facultate disciplinarum mathematicarum et physicarum candidatus.

Praeterea Academiae curatoribus visum est, medicae facultatis consensu, viro doct. Middendorp anatomen corporis humani et histologiam, viro doct. Huizinga chemiam physiologicam docendas mandare. Fore ut consilio et rationibus, quibus eo perducti sunt, respondeat eventus, confidere licet.

A professoribus sponte fit transitus ad studiosos, qui quo rariores, eo cariores sunt, *ὀλίγοι τε φίλοι τε.* Nonnullos ut abiisse dolemus, ita nullos obiisse gaudemus. Sibi suisque et nobis ut incolumes serventur vehementer optamus.

De academico apparatu et instrumento nihil habeo quod addam ad ea, quae plus semel ex hoc loco memorata audivistis. Nota repetere quid proficit?

De me ipso rectore si quid extremo in medium proferre haud abs re est, declarare iuvat, nihil fere operis nedum oneris mihi attulisse magistratum; ut apud Maronem Antenor, placida compostus pace quievi. Quod beneficium collegarum et studiosae iuventutis benevolentiae gratus acceptum refero.

Et iam, A. H! muneri finem impositaro nil profecto mihi iucundius accidere potest, quam quod officium incumbit tradendorum praemiorum, quae victores in certamine literario a senatu huius Academiae indicto tulerunt. Antequam vero ad illam hodiernae solennitatis partem transgredior, te, vir clarissime, qui senatui ab actis es, rogatum velim, ut singularum Facultatum iudicia recites.

(Recitantur iudicia.)

Igitur, iuvenes egregii, parentum deliciae, academiae quisque suae decus, lubenter ad vos mea se convertit oratio. Meritae vos expectant praemia palmae. Accedite, ut ex mea manu accipiatis quae vobis debentur honoris insignia. Macte ingenio este, macte virtute! Dum vobis profuistis, commilitonibus exemplum praebuistis, quod imitentur. Vestrae studiorum primitiae uberes fructus, laetam segetem augurantur. Quae spes ne fallat, cavetote. Cavebitis certe, si nil actum reputatis, si quid supersit agendum. Et quam multa supersunt! Ars longa, vita brevis! Unum addere res

iubet et animus. Principibus in sua disciplina viris placuisse non ultima laus est. Huiusmodi igitur certaminibus literariis suam opportunitatem et utilitatem denegare nolim; ingenii exercendi et virium periclitandarum causa in primo curriculi stadio satis commendabilia videntur. Sed quod volo hoc est: si regia insistere velitis via, in posterum magis magisque operam date, ut ipsi ex interioribus vestrorum studiorum recessibus et penetralibus argumenta petatis perscrutanda et elaboranda: argumenta, inquam, quae non ab aliis extrinsecus proponuntur nec improviso obiciuntur, quae non praemiorum illecebris attrahunt. Generatio spontanea si qua est, in hominum ingeniis iure suo valet; in ea potissimum genuina humanarum facultatum vis ac virtus cernitur. Aurea libertas aureis nummis pretiosior. Vera doctrina facile carere se patitur cuiuscunque generis incitamentis et invitamentis; satis superque ei sufficiunt, quae ex sua ipsius natura tanquam ex perenni fonte haurit; neque multa sunt, sed unum tantummodo, omnia complectens: *veri investigandi amor*. Veritas universarum disciplinarum arctissimum vinculum, singularum sacratissimum est palladium. Veritatis vexillum si sincera fide, indefesso pede, alacri mente sequimini, victoria vos manet, omni laude, omni gloria maior, omni metallorum, quamvis nobilium, fulgore splendidior!

Unum superest, ut fasces in tuas manus tradam, vir clarissime Tellegen. Tradens tibi gratulor, Rector Magnifice! Tuo sub moderamine Academiae Groninganae res ampliores melioresque fiant!

DIXI.

DE AARDE EN DE MENSCH.

REDEVOERING

BIJ GELEGENHEID DER OVERDRACHT VAN HET RECTORAAT
DER GRONINGSCHE HOOGESCHOOL

DEN 14den OCTOBER 1869

GEHOUDEN

DOOR

Dr. W. HECKER.

G. H.

Alwie van den mensch en van 't menschdom wat te weten wil komen, moet met de aarde beginnen, evenals die 't om den geest te doen is, met het lichaam begint. Niet alsof de aarde en 't lichaam op zich zelf de edelste bestanddeelen waren, maar ze zijn de oudste en als zoodanig bezitten ze 't recht van prioriteit. De kennis der aarde is de *conditio sine qua non* voor de kennis harer bewoners. De aarde laat zich des noods wel denken zonder den mensch, de mensch zonder de aarde geenszins. Ook zij heeft hare ontwikkelingsgeschiedenis, die door 't geologisch onderzoek bij den dag al meer en meer ontsluierd wordt. Eerst nadat zij de tallooze jaren harer chaotische en mythische perioden achter den rug had, werd ze langzamerhand eene waardige verblijfplaats voor den met rede begaafden mensch. Bij die gedaanteverwisseling stond het vuur voor goed den scepter af aan 't water, dat, evenals 't bloed in 't dierlijk lichaam, door zijn alvoedende aderen en rustelooze beweging de bewerktuigde krachten der aarde in volle werking, als 't ware tot bewustheid brengt. Sedert is dan ook dit element de eerste behoefte voor alles wat ademt in hoogeren en lageren kring; zelf werd het van alle grondstoffen 't eerst met levende wezens bevolkt en in oppervlakte overtreft het verre het land; bronnen en beken bezielen de natuur met bloem en kruid; rivieren en zeeën schiepen landbouw en scheepvaart, zagen de eerste staten en rijken verrijzen en bloeien; rivieren en zeeën dragen de rijke gaven der natuur uit alle klimaten over en weêr, brengen de vruchten en gewrochten van 's menschen geest tot de uiterste einden der wereld; ze geven de landen en wereld-

deelen hunne gedaante, hunne temperatuur, hunne bestemming. Bestaat wel is waar de aarde niet *om* den mensch, toch beantwoordt ze, als verblijfplaats van den mensch, aan hooger doel. De veredeling van den een gaat met de veredeling van de andere hand in hand. Alleen door de inspanning van al onze vermogens vermag ze hare hoogste volkomenheid te bereiken en is 't waar dat ze door dat hulpbetoon als vermenschlijkt wordt, de mensch gevoelt er zich zelf als vergoddelijkt door. De aarde heeft dus, behalve een cosmisch en tellurisch, nog een intellectueel en moreel belang. Ze dient ons niet alleen tot een tabernakel bij ons leven, tot een graf bij onzen dood; evenzeer en nog meer is ze 't worstelperk onzer edelste krachten, 't grootsche tooneel van al onze werken en daden, de getuige en bondgenoot van al onze veroveringen en ontdekkingen op 't gebied van kunst en wetenschap, handel en nijverheid, het voer- en werktuig voor de hoogste belangen der menschheid, kortom ze is de algemeene kweekschool of, volgens 't woord van Ritter, 't groote opvoedingsgesticht van ons geslacht. 't Zij me vergund aan 't betoog dezer stelling eenige oogenblikken te wijden, en is ook de stof gelukkig niet meer verrassend nieuw, 't moge haar daarom niet aan frischheid van behandeling en aan gepastheid voor deze ure ontbreken.

Een geheim gevoel van verwantschap tusschen de aarde en den mensch bezielt alle volken in de morgenschemering der eeuwen, bij 't eerste ontwaken hunner bewustheid. Van daar de lange reeks van mythische en mythologische scheppings- en paradijsverhalen, die vast zonder uitzondering 't eerste menschenpaar tegelijk met de wereld doen geboren worden. Als producten van dichterlijke verbeelding, als uitvloeisels van godsdienstig volksgeloof hullen ze alles in een sluier van bovennatuurlijke oorzaken, van symbolische en allegorische voorstellingen, van personificaties der natuurkrachten, die in onbestaanbare gedaanten en gedaanteverwisselingen een strijd voeren op leven en dood. Bij die mythisch-dichterlijke opvattingen is 't in het Oosten gebleven. In Griekenland verrees voor 't eerst met de ionische school de wetenschap, die de uitwendige verschijnsels tot vaste wetten, tot eenheid van grondbeginsel poogt terug te brengen: getuige 't neptunisme van Thales, die 't water, 't plutonisme van Heraclitus, die 't vuur tot de laatste oorzaak der ondermaansche dingen

verhief. Aristoteles is de man, die in de aarde een bewerktuigd lichaam zag, in zich zelf met bezielde en bezielende kracht begaafd. Was bij Homerus en Hesiodus de aarde nog eene platte schijf, Pythagoras erkende hare bolvormige gedaante. Ook de tegenvoeters bleven, ten minste van naam, der Oudheid niet onbekend; evenmin de wenteling der aarde om hare as en om de zon.

Eveneens verraadt de geografie in hare kindsheid een gelijken trek van 't wonderbare, al ontbreekt het haar ook niet geheel aan historischen kern. Met die beperktheid van horizon strookt het eigenaardig vooroordeel, dat ieder volk zijn eigen land tot de uitgelezen plek, tot de spil der aarde verheft, evenals 't met kinderlijke illusie zich zelf de uitverkorene onder de natiën waant. Uit den aard der zaak vorderde de geografie meer dan de cosmografie. Geen periode of ze leverde er hare bijdragen toe. De Grieken staan ook hier weder bovenaan, naardien zij 't eerst dit vak theoretisch beoefenden en wel in den beginne met de historie verbonden. Uit louter dorst naar kennis bezochten ze vreemde landen en ondernamen ze ontdekkingsreizen te land en ter zee. Als slotbedrijf verwijdde de tocht van Alexander den Groote heinde en ver de grenzen der toenmalige wereld en op die grondslagen verhieven de Alexandrijnen de geografie tot eene zelfstandige wetenschap.

De Romeinen verrijkten de resultaten der Grieken langs een tegenovergestelden weg door hunne veelomvattende veroveringen en eeuwenlange wereldheerschappij, kortom door hun cosmopolitische bemoeiingen.

In de middeleeuwen stonden cosmografie en geografie zoo goed als stil; ja de ontdekkingen der Grieken gingen grootendeels verloren onder 't wicht van een albeheerschend bijgeloof; de wetenschap liep aan de hand of lag aan den band van geestdoodend kerkgezag. De aarde zag zich gedoemd om weêr eene platte schijf te worden en stil te staan; de tegenvoeters werden door de kerkvaders afgekeurd en doodgetrapt. In de 6e eeuw bestreed Cosmas in zijne Christelijke Geografie 't stelsel van Ptolemaeus met het woord der H. schrift. Het lot, dat Galilei wedervoer, getuigt 1000 jaren later nog van de nawerking dier wanbegrippen. Bleef daarom dat eeuwenheugend tijdperk van alle aanwinsten verstoken? Wel neen; Amerika werd ontdekt door de IJslanders, hoewel 't weêr zoek

maakte; de pelgrims- en kruistochten, de gezantschaps- en zendelingsreizen, de handelsondernemingen naar 't Oosten leverden rijkdom van stof; en hoe eenig zijn de verdiensten der Arabieren op dit gebied! Doch eerst met de ontdekking van 't zonnestelsel door Copernicus, bovenal met de toenemende bekendheid van Amerika en Australië brak er eene nieuwe toekomst, eene gouden eeuw voor de geografische wetenschap aan. Immers nu was de aarde in hare geheele uitgestrektheid, in hare wezenlijke gedaante aan 't volle licht gebracht en voor 't vrije onderzoek zoowel als voor 't algemeen verkeer geopend. Wereldreizen en ontdekkingstochten, wetenschappelijke en handels-expedities vervingen, ja verdrongen de eene de andere, met name na de fransche revolutie van 1789. Reusachtige vorderingen maakte diensvolgens ook de ethnografie en door deze gerugsteund, heeft de geografie vele vroeger onverklaarbare geheimen der geschiedenis ontraadseld.

Van lieverleê ontdekte ze vaste wetten in den beslissenden invloed der uitwendige natuur op de menschlijke geestontwikkeling; als een veilige gids reikte ze de geschiedenis zusterlijk de hand, om haar den weg te wijzen, ten einde zich te leeren orienteren op 't haar aangewezen terrein; zij deed haar best om de wetten der stoffelijke natuur in overeenstemming te brengen met die van den menschlijken geest, om 't groote probleem der eenheid tusschen de natuur en den mensch te helpen oplossen. Dit verband werd ook wel sporadisch en fragmentarisch bij de Ouden opgemerkt: getuige o. a. de meesterlijke vergelijking tusschen Europa en Azië bij Hippocrates, 't fijne betoog over de gelukkige ligging van Rome als wereldstad bij Cicero. Doch de gezette en stelselmatige behandeling van dit onderwerp dagteekent eerst van jongeren tijd. Een der baanbrekers was Montesquieu, die in zijn *Esprit des Lois* door tal van proeven en wenken den inwendigen samenhang tusschen staatsinstellingen en territoriale toestanden ophelderde en bewees. Herder huldigde 't grondbeginsel van die leer in de woorden: „der Mensch ist ein bildsamer Thon in der Hand des Klima." Hegel opent zijne *Philosophie der Geschichte* met eene rijkgemotiveerde lofrede op 't belang en de waarde der geografie. Het meeste echter, zoo niet alles, heeft dit vak van studie dank te weten aan de nasporingen en ontdekkingen der twee coryfeën Alexander von Humboldt en

Carl Ritter. Onder hunne handen werd de vergelijkende geografie geboren, die tegenwoordig een der hoofdbestanddeelen is van 't historisch onderzoek. Ja 't gebruik reikte hier, als gewoonlijk, aan 't misbruik de hand. Immers, om zich des te zekerder in zijn goed recht erkend te zien, wil 't geografische element, vooral op franschen bodem, gaarne 't historische overvleugelen en zoekt te dien einde niet zelden in de uitwendige natuur des lands, wat aan de inwendige des volks behoort. Een staaltje uit de vele levert Renan's vermaarde uitspraak: *le désert est monothéiste;* alsof de daaglijksche aanblik der eentoonige, onmetelijke, grenzenlooze woestijn de Israëlieten en Arabieren tot het geloof aan één God had gebracht. Maar 't monotheïsme heeft zich uit den boezem dier naties zelve ontwikkeld; 't is hun niet met den wind of 't zand der woestijn op 't lijf gewaaid. Waarom anders niet eveneens 't monotheïsme bij *alle* woestijnbewoners? De land- en hemelstreek is wel één, maar niet de eenige, niet eens de vermogendste factor der beschaving; de hand en de geest van den mensch zijn oneindig meer. Hadden de engelsche kolonisten hun angelsaksisch karakter niet meê over zee genomen naar Noord-Amerika, nooit ware er eene Unie verrezen, nooit waren er wildernissen in paradijzen herschapen: En omgekeerd, wat wordt er van de heerlijkste landouwen, als de mensch er zich aan onttrekt en de omstandigheden hardnekkig tegenwerken?

De vergelijkende of historische geografie heeft de politieke van den troon gestooten of liever ze heeft deze veredeld en verlevendigd, door als grondslag 't algemeene voor 't bijzondere te kiezen, 't onveranderlijke, onwankelbare samenstel en wezen der aarde zelve voor de niet zelden wisselvallige en toevallige regeling van door staatkundige berekening in de pen gegeven grensbepalingen en landverdeelingen. Ze wil weten hoe de aarde *werd*, wat ze *is*, hoe ze worden *kan*, wat ze worden *moet;* ze levert de beredeneerde statistiek der quantitative en qualitative verhouding van land en water, van warmte en koude, van al wat met de grond- en luchtsgesteldheid verwant is, die der soorten van voortbrengselen en levensmiddelen, die der afwisseling van bergland en vlakland, van vastland en eilanden of wel die der in hare uitkomsten zoo onuitputtelijk rijke verscheidenheid der horizontale en verticale physionomie van landen en werelddeelen.

Langs dien weg is de natuurlijke noodwendigheid ontdekt van den loop der menschlijke beschaving van 't oosten naar 't westen, uit Azië naar Europa, uit Europa naar Amerika en Australië. Van daar ontspringt de voorstelling of tegenstelling van een tellurisch en een maritiem halfrond, 't eerste met de landen der Oude, 't andere met die der Nieuwe wereld: 't eerste aaneengeschakeld en verbonden, niet door groote zeeën verdeeld en gescheiden, 't andere beheerscht door den invloed of liever door den overvloed van ontzachlijke waterkommen; 't eerste met een bij uitnemendheid continentaal karakter, dus hoog en droog, 't andere met een neptunisch karakter, dus nat en plat, laag en vlak (als Amerika) of met een polynesisch karakter, dus versnipperd en verbrokkeld in eene legio van archipels (als Australië).

Dientengevolge is de Oude wereld in de breedte uitgedijd, de Nieuwe in de lengte uitgerekt. De hoofdgebergten der eerste loopen van 't oosten naar 't westen als ribben, die der andere van 't noorden naar 't zuiden als een ruggegraat. Dien koers, die lijn volgden regelmatig in de beide halfronden de kolonisatie, de volksverhuizingen, de veroveringen, evenals nu nog de politieke invloed van Europa op Azië, van Noord- op Zuid-Amerika.

In de Oude wereld is 't hoogere leven ontwikkeld, 't *animalisch* element, de voortreflijkheid van mensch en dier, in de Nieuwe wereld 't *vegetative*, 't lager georganiseerde leven, de uitnemendheid van boom en plant, van bloem en kruid, de rijkdom van metalen. Daarom zijn de bevolkingen der Oude wereld vol energie, vol ondernemingszucht, vol geestkracht en 't gemis van deze wordt door lichaamssterkte vergoed, als bij de Mongolen in Azië, bij de Negers in Afrika; terwijl omgekeerd de inboorlingen der Nieuwe wereld zonder kern en pit, zonder veerkracht, voos en broos, lymphatisch, voor arbeid en inspanning niet berekend zijn. Ziedaar de aanleidende oorzaak van den slavenhandel met zijn aankleve en tevens die van hun eigen onvermijdelijken ondergang.

Uit een en ander vloeit meê van zelven voort: ten eerste de eeuwenlange onbekendheid der Nieuwe wereld, die, achter oceanen verborgen, op de uitbreiding van scheep- en stoomvaart diende te wachten, om 't tooneel te kunnen betreden; ten tweede de groote gemaklijkheid om haar, na de ontdekking, op de vleugelen des winds in eene korte spanne tijds volledig

te leeren kennen en met de Oude wereld door hechte snoeren te verbinden; ten derde de hoogere beschaving der laatstgenoemde, waarvoor dan ook die der eerste, tot zelfs in Mexiko en Peru, waar ze bij uitstek bloeide, als kaf verstoof, uit gebrek aan kracht van terugwerking en tegenstand. Met één slag veroverden de spaansche avonturiers 't Zuid-Amerikaansche grondgebied; in 't noorden verkochten de Roodhuiden bij contract hun land aan de engelsche kolonisten. Azië en Afrika daarentegen stooten al eeuwen lang den europeeschen invloed van zich af; 't bramaïsme, 't boedisme, de islam, zuiver oostersche producten, zitten er te diep en te vast geworteld en wat de continentale natuur in dezen vermag, leert Afrika, dat na duizenden jaren bekend te zijn nog altoos voor een goed deel onbekend is.

